

(2)
EPISTOLARVM
LIBRI DVO, CVM
COEMETERIO,

AVCTORE
ROBERTO OBRIZIO
HERMOPAGITA
ATREBATIO.



RIGIACI ATREBATIVM,
Apud Gulielmum Riuerium.
M. D. XCI.



0
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20


(2)

EPISTOLARVM
LIBRI DVO, CVM
COEMETERIO,


AVCTORE
ROBERTO OBRIZIO
HERMOPAGITA
ATREBATIO.



RIGIACI ATREBATIVM,
Apud Gulielmum Riuerium.
M. D. XCI.



INDEX
EPISTOLARVM
PRIORIS LIBRI.

	D Vedastinorum Abbatem Epistola Ad eundem Ioannem Saracenum Ad Ioannem Siluium amicum Ad eundem Siluium Paroxyfinus Auctoris Ad Ioannem Lauerium Cantorem, & Canonicum Atrebatensem	1. 2. 3. 4. 5. 6.
	Ad Theobaldum Fabrum Ad Robertum Rosam Ad Federicum Iamotium medicum Ad Iacobum Tullanum Ad Gulielmum à Cruce Regium Consiliarium Ad Federicum Iamotium Doctorem medicum Ad Ioannem Siluium	7. 8. 9. 10. 11. 12. 13.

INDEX EPISTOLARVM
Posterioris libri.

A	D Tironem quemque .i. nouitium militem familiæ Benedictinæ apud Vedastinos Atrebatenses Epistola Ascetica	1.
	Ad quempiam amicum grauissimè afflictum	2.
	Ad Poëtas omnes Christianos	3.
	Ad manes Roberti Fortij ex Sorore nepotis	4.
	Ad Petrum Ballium Aduocatam	5.
	Ad Franciscum Moschum Offic. & Canonicum Atreb.	6.

AD
IOANNEM SARACE-
NUM VEDASTINUM
Abbatem ornatissimum

EPISTOLA I.



AGNE pater, numero qui vis me
stare tuorum,
Morbo sæpe domi licet impedi-
te, clientum, (dis,
Secreti si participes nos dicier au-
Atque probas; seu parte meri, siue
ære quotannis

Non minimo, tamuli, & pastoris munus honestas,
Carmen habe, quo ridiculos obtrudere palpum
Non metuas, nec dementes reprehendere vitam,
Quem Pater æternus sublimem in culmine rerum
Præfulgere piæ statuit virtute coronæ,
Mirifico quæ septa habitat sacrata Vedasto,
Præside Romuleo simul auspice, & auspice Ibero
Principe; virtutum censore utroque tuarum.

Nec tibi præcipites bilem, inuidiamue mouemus
Audaces nimium partes obisse monentis;
Sed sponte officium procliue in recta paramus.
Nursini breuiter liceat te affari ore
Ornatum crines vittis, mitræque bicorni,
Aut Basilî verbis, testante vel Hellade, Magni.
Namq; hæc amborum monumentis hausta profamur,
Obsequij memores, te coram vertice tanto.

*Benedi-
ctus Nur-
sinus. Ba-
silii Ma-
gnus.*

Quid deceat, quid non, Tironis munia, primo
Alter epistolio fortasse libellus habebit.

Te saluere patrem specioso nomine magni
Ponderis, & passis manibus, genibusque voluti
Deposunt alacres, quorum tibi credita cura est;
Quod nomen commune Deo, ius fasque tueri est.

Ecce patris titulus natis indicit amorem,

Peruigilemque metum patri, ne forte reposcat
Pignora cunctipotens hominis deperdita culpa,
Terribiles pœnas vno pro quoque daturi.

Exultans studiis melioribus, vtilis Abbas
Cœnobio est, superi si quos alit vbere verbi,
Pascat & innocuę præstanti neclare vitæ:
Saxea nam vel sic mansuescere pectora cernas,
Quod pater à reliquis poscit, si durius à se
Exigat, adiungens exempla hortatibus almis.

Vis vt ameris? Ama: puerorum cantio vera est
Atque frequens. opifex amor est mirandus amoris:
Nam facile redamet, qui se præsentit amari.

Et vis præcipua est, & digna occasio amandi
Quos parias, & alas, Christi que cruore coëmtos,
Et nece, fidereo, venturum in tempus, olympo.

Quos premis imperiis, Domino dictante, paternis,
Diligis in Christo pariter discrimine nullo,
Seu generis commendet honos, atque atria priscis
Obsita imaginibus quemquam, seu deiciat fors,
Nî quos integritas studio discreta gregali
Conciliet propius, teneroque innectat amore.

In vitium natura hominis propensa, referri
Protinus ad frugem indocilis, plerumque requirit
Peruigiles oculos pastoris, vt vsque tuendo
Arceat infirmo pecori contagia, & ortam
Neglectu scabiem expurget fluuialibus vndis:
Nec picibus, fricçãoque sali, nec parcat amurcæ,
Deplorata catus rescindere & vlcera ferro,
Dum malefana lues exacta faceffat ouili.

Non stomacho indulgens, bili que citatus amaræ
Continuò abiiciet, quem conseruare potis sit,
Nî fugiat dextrè mens incorrecta medentem.
Si bene te noui, sum mittes arte valentem,
Consiliisque senem, placidus qui mulceat ægrum
Consultor, qui spem faciat solator amicus,
Tristitiæ raptò de fluctibus, atque dolorum.
Talibus hortarer te multis, optime Præsul,

Nî

Nî vis consilii, nî multa peritia reum,
Viuax præuiridis comes ingeniũ, que senectæ,
Nî tua nota fides, grauitasque in rebus agendis,
Me reuocent, iam te remorari pluribus ausum.

Nil monitore opus est illi, qui cultor amoris,
Qui pietatis amans, minimo prodesse suorum
Percupidus, nusquam nimius, nec inertior ocî
Mollitię, nusquam violenta turbidus ira,
Qui nec languidior, nec suspiciosior æquo,
Iudice cuncta gerit Christo, quem que anxia cura
Sat docuit multis Dominum multisque ministrum.

EPISTOLA 2.

AD EUNDEM IO. SARACENVM

antea Priorem Vedastinum, Auctoris quondam discipulum.

Q Vam precor ex animo, tibi nuntiat ista salutem
Charta, Vedastini non infima gloria cœtus,
Saracene, tui spes, deliciũque Roberti,
Me monitore bonos quum, ceu noua testula, succos
Imbiberes, Domini que metum, & pietatis amorem.

Nimirum teneris in te radiabat ab annis
Ingenij specimen, generosa in cuncta sequacis.

Sum patris ipse tui captus virtutibus, isto
Ingenio quondam sum captus, & indole rara,
Prodere se primo quæ tum properabat ab æuo:
Nunc venerabundus, tanta ad fastigia vecti
Coniunctos Sophiæ mores compellor amare
Vnus amicorum, cui nil os pectore ab ipso
Diuersum regerit consueto vera profari,
Vstaque dissiliunt præcordia vera tacenti:
Namque tacere licet verum, quum pectore amantis
Expromptum, alterius nequidquam verberat aures.

Vsus amicorum magnus tibi, magnus & vsus
Est inimicorum: hos nequeas vitare, nec illos
Longius abscedens, quod vita monastica non fert:
Vnus at ex illis tibi præstituat, & alter
Ad summum, cui, quod tacitum vis, credere possis,

A 3

Ad

Virgilius
Georg.

Benedi-
ctus Reg.
cap. 27. &
28.

Reg. cap.
56. & 64.

Ne secreta tibi incutiant vulgata pudorem.
 Ex aliis fas est ingentes carpere fructus,
 Quorum sint suspecta tibi commercia, quorum
 Iurata innocuum, ac armata infania vexer.
 O bone, priuatis affectibus inice fræna,
 Ne nimium laxis rapiare effusus habenis.
 Laudari quàm dulce fuit, quàm dulce probari
 Quæis plane arrident tua facta, prioribus illis
 Tam leue sit temni, tam sit leue scommate lædi,
 His quoque postremis, qui vitam carpere gaudent:
 Qui quod agis, magè perspiciant fortassis acutum,
 Quàm, cui cæcus amor præuento lumina velat.
 Sis memor auctori rerum persoluere grates,
 Si, cui mens inimica tibi est, tua crimina pandit.
 Mira etenim Domini dignatio, qui quod amici
 Aut non aduertunt, aut non aduertere fingunt,
 Aut specie occultant recti, laudantue, probantue,
 Proferat in lucem palpari nescius hostis.

Sunt, qui te, iam sublimis virtutis in arce
 Vnanimis ambo, mitràque, pedoque decori
 Ad sese inuitent, stimulosque hortatibus addant:
 Sunt virtute pares, sunt & virtute minores:
 Cura sit æquales properato vincere cursu,
 Nec perdat palmæ, aut taret pes segnibus honorem.

Oh, ne despicias depressum sedibus imis,
 Ne tu vltrice Dei dextra deiectus ab alto,
 Sub pedibus, tristis lapsu inferiore minorum,
 Fortè breui, at longum suspirans, illa ducas.
 Namque loco ex humili ceu tu nunc surgis in altum
 Conspicuis virtute noua; sic de grege vestro
 Qui minimus vobis censetur, numinis aura
 Olim subuectus summos pertinget honores.

Ergò fac vt tollas studio haud leuiore minores,
 Quàm te contendunt virtute, & honore priores
 Tollere, sublatumue animis ingentibus optant,
 Vndique solliciti, mecum tibi multa timentes
 A ventis, qui more suo sublimia perflant,

Turbi-

Turbinis à picei nimbis, à fulminis igni.
 Te rogo, vtrum grauius sit apud te, dedere leto
 Corpora dumtaxat disperso humana cruore,
 An viuentum animas ad nigri limen Auerni
 Sistere corrupto exemplo? Responsta petenti
 Formidabilius non dices esse secundum?
 Annuis, ac Euangelii iam fulmina dicti
 Corde memor tacito exhorres: Quicumque puellum *Matth.*
 Læserit imbutum doctrina, & sanguine Christi,
 Grandia saxa trahens collo dignissimus ille est,
 Mox pelagi rapidas qui præcipitetur in vndas.
 Ne leue sit nobis, abrumperè gurgite vitam,
 Qualis hic humanis aspectibus obuius, ambit
 Qui terræ totum latè circumfluus orbem:
 Est alius gurges, torrens & flammeus: olli
 Immersus pendet post tristia funera pœnas
 Numinis & spretor ferus, oppressorque puelli.

Hæc meus, hæc Saracenus pulcrè omnia nouit:
 Differit interdum facundus & ore rotundo:
 Auguror & responsurum recto ordine vitæ
 Hisce meis dictis. Tenero mihi notus ab vngui
 Namque ignominiam refugit, non bardus, & excors
 Numinis est metuens, exaudit verba monentis,
 Raptari celeres que non patiat in auras.

Luxne aderit, qua Cœnobium florere videbo?
 Quod reditu, celebri & fano, quod laude Vedasti,
 Et meritis, vix Cœnobio concesserit vlli.

Sunt intus numero haud pauci, qui flore iuuentæ
 Iam medio insignes, nil non sectantur honestum
 Non ignaui animis, non infeliciter hirti
 Ingenio, exculi studiis melioribus. Illis
 Saracene, opus est vno te præduce. virtus
 Marquasi tibi nota tui est non infima virtus,
 Quæ dudum rigido se fulsa satellite iactat. *Marqua-*
 Sunt alii eiusdem socij certaminis; illis *sins.*
 Vtere, quos vitæ & veræ pietatis amore
 Egregios nosti. Quid non effecerit olim

Istius

Istius vis iuncta chori? perge ocyus: euge
 Tu comes es cœtus, hortator tu, caput, & dux.
 Qui prior es, ne posterior sis; ordine primus
 Sterne viam. Quir latè obducunt omnia vepres,
 Iam sæclis aliquot? dumos diffinde bipenni,
 Complana caudem, quam Crincio subluit amnis.
 Est quod agas, magni post sæcula longa Vedaſti:
 Profliganda fera est non vnica, & vnicus vrsus,
 Inuentum quem fama refert non vana Vedaſto
 Vepribus in densis aliàs, & sentibus aspris.
 Si tibi diuerſis animalia mille figuris
 Occurrant, ſubitam iunctim minitantiã mortem,
 Tu ne cede loco, diſperde horrentia monſtra
 Impaudus, Chriſti confidens enſe biſulco.

Expectanda tibi haud vana eſt victoria, bello
 Multiplici, in tempus longum fortaffe trahendo.
 Non leo, non vrsus, non pardalis ingruet vna,
 Non ſpumofus aper, grauis hircus & vnus odore,
 Porcus grunntu: manet haud te gloria ſimplex.
 Lernææ purgandus odor tibi peſtifer vndæ.
 Cerno renaſcentem rediuuio vertice, quàm tu
 Vix bene millenis confeceris ichibus hydram.

Fabula tam multis temere haud cantatur ab annis,
 Nil claua Alcides profeceris, atque ſagittis:
 Congere ligna citus, flammã ſubmitte rogales.
 Igne opus eſt: miſce diuini incendia amoris:
 Numine tum fretus, celebri lætare triumpho.

His compellatum te vult Obrizius: ipſe
 Plura tibi memor, & prudens, viuacior acri
 Ingenio præſtare poteſ. licet addere, & auſim:
 Si quid ab his monitis diuerſum pectore condis
 Præter amicorum ſpem, Saracene, tuorum;
 Teſtis hic eſt verſus, te non auctore magiſtro
 In proprium exitium ferri, fratrumue tuorum.
 Sed melius ſperare iubet foelicuſ omen
 Corporis atque animi tot nixum dotibus iſtis,
 Perpetuæ ſtudio virtutis, & indole prima.

EPI-

EPISTOLA 3.

Ad Ioannem Syluium Amicum.

Vtile ſi quidquam tibi ſuadeo, maxima merces
 Sit tibi, ſi vertis vitæ melioris in vſus,
 Quod tibi non dubito breuiori tradere charta.
 Iplemet, ô vtinam, quæ ſcribo haud peſſima, præſtem:
 Nihil melius quid habes, communi hoc vttere fructu.
 Turgidus ampullas, phaleratq; verba reponat
 Qui populi plauſus, & inanes colligit auras.
 Sic te compello errantem, ſic increpo mecum:
 Hoc licet, hoc in te mihi vendico iuris amico,
 Quod tibi ſit fauſtum, quod ſit mihi, quod ſit vtrique.
 Nuſquam ſis nimius; modus eſt adhibendus vbiq;
 Siſte vagos animi motus, expelle dolores;
 Quod ſtomacho ſatis eſt, tantum tibi ſume lyæi;
 Parce cibo, & chartis; defende à frigore corpus.
 Lude, ede, quod ſatis eſt: gaude atque aſueſce labori
 Impiger: hinc ambas dormi ſecurus in aures.
 Quod legis, abſtruſo concoctum pectore ſerua,
 Diuite quod ſcripto tibi mox promatur in auras
 Efficum vigili cura, multoque labore:
 Qualiter eſſormare rudes, ſua pignora, foetus
 Noctes atque dies lambendo credimus vſos.
 Affert Chriſtus opem ſectanti comoda fratris,
 Vnius & Chriſti, & ſummi genitoris honorem.
 Turpe, hominum ſic inuidiam, ronchoſque timere,
 Vt nihil emittas vitæ communis in vſum,
 Aggeſtas ſat habens cupidè conſumere fruges:
 Nemo laudet apem, quæ fuco inimica gulofe
 Hauriat ambroſia, & diſtentas nectare cellas.
 Vt ſunt iudicia interdum præpoſtera, nil eſt
 Quod male cenſentes hominum vereare cateruas:
 Laus, placuiſſe bonis, laus diſplicuiſſe nefandis.
 Quid trepidas de te ſi quid leue fama ſuſurrat?

B

Quid

Quid nocet, aut prodest, si vera, aut falsa refingit?

Optima solatrix mens est sibi conscia recti.

Sæpe precare deum; sed ne prolixior esto: (lum.

Que mala cunque premant, patet hoc tibi semper asy-

Tædia, mœrores, suspiria crebra, querelas,

Anxietatem animi, versuti dæmonis artes,

Horrorésque, metúsque, vagæ deliria mentis

Abiice, ne huc illuc rapiaris, arundinis instar.

Quin contra, fidei inuictó te robore firma,

Cui spes fida comes, cui sit dilectio; triplex

Vt sit funiculus dissolui nescius vnquam.

Iuge epulum mentis, dilectio, ceu sophus inquit.

Scilicet hoc promptum est, vires reuocare iacentes.

Pone metus: pulchrumque tibi sit viuere in armis.

Illa grauant agiles humeros, remorantur euntem

Dauida in Goliath, vano quæ gloria fastu

Cudit, & infido fugienda superbia ferro.

En arma expediam, Paulus quæ maximus heros

Ille tulit quondam, atque aliis gestanda reliquit.

Macte, salutifera summus tibi casside vertex

Horreat, & thorax nullo penetrabilis ictu,

Muniat aduersum pectus, ventremque; latusque

Sutibus squamis, humerorumque ardua cingat,

Iustitiæ scitè dextra fabrefactus, & arte,

Durior & chalybe, & rutilo fulgentior auro.

Fige pedem, nec post te respice, confere dextram.

Hic gladius, verbum Domini, diuerberet hostes

Tam varios, quamuis dextra, leuâque frequentes.

Pacémne aut fœdus simulant? Tibi prospice cautus,

Non villo pacem, non pangito tempore fœdus:

Robore collecto nam tum violentior in te

Irruet insidians hostis, sternetque supinum.

Sentis infirmum? exiguas ne despice vires:

Nam male permultis hæc confidentia cessit

Post toties raptos imbelli ex hoste triumphos.

Res est, res tibi cum veterano Dæmone, cui sunt

Mille doli, & fraudes, sunt artes mille nocendi.

Inuidia

Inuidia est, odiumque tenax ab origine mundi:

Inuidia, atque odium multo acrius, orbe redempto

Riuus sanguinei laticis, & funere amaro.

Ne temere fidas ludenti, neue iocanti;

Fingit multa; fouet nos spe, formidine terret;

Decipit & specie recti, tenebrasque profundit:

Præfert lumen, vt oppressos caligine mergat, (stis,

Hinc mundus vafer, hinc caro blanda, domesticus ho-

Inque tuum exitium armatus, iuratus vterque.

Quid dubius refugis variæ discrimina pugnae?

Nonne vides, vt te præit in certamina Christus?

Hoc duce quid metuas, domitos qui fuderit hostes,

Dum vinci simulat, patiens occumbere leto

Terribili, quo strata acies, quo mortua mors est?

Tum hæres stupidus, quum stet victoria tanti?

Eia age, victori ne desis, improbe, Christo.

EPISTOLA 4.

Ad eundem Syluium.

V Nice curarum solamen, amice, mearum,
Audeo multiplices cui pandere pectoris æstus,

Quid sim, quid non sim, quod fiam sæpè me ipso

Deterior, facili poteris cognoscere versu.

At, quum ad me redeo, quàm non mihi blandior ipsi,

Accipe, nec pudeat toties errasse fateri,

Nec pigeat me me peccantem ferre magistrum.

Sum verax monitor, toties qui pecco, mihi ipsi

Ingenuè retegam vulnus mihi pectore fixum,

Rodat vt ambefas ne serpens latius oras.

Totus (ais) populus malè de te sentit, & idem

Iudicat & garrit, mores expendit iniquè,

Nec benè te nouit, malè vult bene sæpè merenti.

Plebs obtretractrix fingit falsa, atque refingit,

Auctor mendacis male credula, & improba famæ.

Hinc tacitus palles, feruens iecur æstuat ira:

Aut profum abiicis, aut res intermittis honestas
Cessator tepidus, mœrensue negotia curas. (fungi

Nempe tua hæc leuis haud culpa est, non munere

Ritè, alacremue tuo, simul & damnare popellum,
Errati namque hac veniam ratione meretur
Si malè te nouit, malè si comperta frequenter
Suggillat. Num tu possis rogo, nosce teipsum,
Qui bis, tæruè oculos per tot tectoria torques
Cæca tui, seu mane nouo, seu vespere sero?
Implicitos euolue sinus, animi abdita pande:
Multa latent, quæ nosse nequis, quæ nosse recusas,
Queis tibi blandiris, Suffenus vt ille Catulli.

*Suffenus
Catulli.
Simia.*

An non ridiculum est, turpis quod simia turpes
Quùm gignat catulos, mire sibi plaudit in illis
Assiduè exultans, ceu valdè prole decora?

Heus, age, ridendum caue, te hac ratione propines,
Plus nimio indulgens tibi, Græca & voce *Phylantos*,
Inque tuos præceps affectus. Tu magè contrà
Sis placidus, sis mente humilis, non moribus asper,
Aut tetricus vultu, vel amaro pectore tristis.

*Phylan-
tos sui a-
mans.*

De bonitate Dei, de Seruatoris amore,
Nulla tibi obrepant obliuia; totus in hoc sis
Quidquid vt eueniat, leue sit tibi: Cura sit vna,
Vt Christo placeas. Sit Crux tibi gloria, sit spes,
Anchora sacra, Dei promissis fultra, subinde
Omnia per quem sunt, in quo sunt omnia, & à quo
Omnia, siue queant, nequeantue abstrusa videri.

Nil sub Sole malum: bonus at bona cuncta creauit.
Dedecus, opprobrium, diçteria, scommata, sannæ,
Carcer & exilium, proscriptio, morbus, egestas,
Quæ mala tantoperè exhorrescimus, hoc tibi habeto,
Si mala sunt malus ipse facis, vocitâsque malignè,
Accerisique tibi: & quereris, si læderis abs te?
Lædere quid possit, nisi te magè læferis ipse?

Lingua ferit, casto sed vulnere, corpus & vsque
Deferit intactum: cur mens tibi saucia rugit?
Quæ tua mollities, quæ frons, sic nolle probari?

Impie,

Impie, quid refugis vestigia quærere Christi?
Heroum aut, Christo qui nomina sacra dederunt?

Quid faciet vermibus, patitur si talia Christus?
Si tot Cælicolæ? quos fors euexit olympo
Tristior, & dubij per mille pericula cursus?

Sum via (Christus ait) qua tutius itur ad astra:
Hanc age disce viam catus, hanc homo carpe viator.

Nascitur exiguo sub cespite, nudior Iro:
Anxius Herodes sceptro super, ense coruscat;
Tutus inops nequit esse, petit Memphitica regna.
Hic alitur vilique solo, laribusque pudendis.
Crescit, & augefcit, sed parerit vtrique parenti.
Vir factus, famuli dextra, Iordane lauatur.
Tentatur, postquam ieiunia longa peregit.
Per castella vagus fertur, perque arua, per vrbes.
Excitat extinctos, & cæcos lumine donat;
Erigit & claudos, surdis aureisque recludit:
Spargit humum passim diuini semine verbi.
Et quæ pro meritis poscit sibi præmia tantis? (tem
Vulnera, flagra, crucem, colaphos, & scommata, mor-
Denique, sed veræ quæ nobis ianua vitæ est.

Ferre crucem, tolerare malos, contemnere sannas,
Plurima dura pati, Christi qui nomine gaudet,
Quem bona tanta manent, animoso pectore pergat.

EPISTOLA 5.

PAROXYSMUS, QVO AD VIRTUTIS
studium ipse se excitat Auctor.

O Brizi, nitido nomen qui ducis ab auro,
Aureus, vt credo, meruisti dicier olim,
Quùm duo lustra tui numerares paruulus æui;
Impia dum teneræ fugeres contagia pubis,
Assiduus precibus gaudens, & pectore puro
Limina sacra terens, scrutans oracula diuum;
Corde memor tacito, posses que prodere factis,

B 3

Instar

Instar apis, verno quæ florea tempore carpit
Pabula, nectareis stipet quæ sedula cellis.

Dura tibi iam tum fuerant ieiunia cordi.

Ille puer puero charissimus, ille sodalis
Impubes lateri hærebat, qui dulcis Iesu,
Qui pietatis amans, osor qui labis iniquæ:
Scilicet, vt socium hunc nactus, certamen honestum
Susciperes, vter in superos ardentior iret,
Moribus & sanctis præuerrere posset amicum
Strenuus, & palmæ victricis præmia ferret.

Hi stimuli pueros celsam virtutis ad arcem
Pellebant, aliàs tendentes passibus æquis:
Vt dubio amborum staret victoria nixu.

Haud tamen interea erodit præcordia liuor
Felleus, at victo concedit victor honores
Candidus, aut iusta partitur præmia lance.
Nimirum his studiis, virtutibus, indole rara,
Aureus Obrizi meruisti dicier olim.

At cur deterior post paulo argenteus exis?
Quàm cito perstrictus leuitate, calentibus ausis
Aureus ille nitor? quantum mutatus ab illo,
Qui bonus ornauit sanctæ primordia vitæ?

Id decus argenti tanto nec tempore fulsit,
Ad speciem & pretium quin te deieceris aris
Degener, aut vilis post paulo tempore plumbi,
Obrizi nitido nomen qui ducis ab auro:
Dum fatuo captus mundi illectantis amore
Lusibus indulges nimis, nugisq̃ue, iocisq̃ue:
Aut ementitus tepidæ pietatis amorem,
Gloriolam captas fortè, applausumque popelli,
Tinnula crustatæ ceu fallunt æra monetæ.

Accessere graues morbi; patientia cedit;
Ingeminant gemitus, suspiria crebra, querele,
Iugis tristities, quæ membra exsiccant & ossa,
Ingenium obrundit, quod erat non turpiter hirtum
Infelixq̃ue adeo; immo sequax in quælibet artes.
Plumbeus hinc factus, tibi dum terrestria curas

Mens,

Mens, aliàs dña cælestis origine, reptat,
Sordida serpit humi, dum non se surrigit vltro
In cælum, sedes patrias, radiantia tecta.
Aureus en primum fueras, argenteus exis;
Æreus inde, refers rursus cognomina plumbi,
Deterior semper, nec salua fronte, teipso.

Sin verò argenti merito cognomina non fers,
Æris fers ægrè, & conuicia turpia plumbi,
Ferreus esto mihi posthac, iam dignior isto
Nomine, maturo non factus cautior æuo,
Inculcans toties aurito verba popello,
Queis cautes rigide, & ferrum mollescere possit,
Quàm tibi mens scopulis, & ferro durior intus
Horreat, haud vitis adnixo imponere finem.

Ferreus, Obrizi, mihi sis, si grandior annis,
Doctior atque vsu rerum, haud respiscere cures:
Si non te moueant sociorum fata tuorum,
Queis nunc tam multis es solus pene superstes:
Negligitur si forte tibi, quæ proxima mors est.

Durius hoc, summi temnis si Iudicis iras
Terribiles, qui iustè olim ius cuique rependet,
Quem vasta horrebit tremefacti machina mundi,
Pastor oues olidis quando secernet ab hædis:
Dextra teget pecudes, sed leua minabitur hircis.

Nunc age dic, in vtram malis concedere partem.
Aspice: Te positum certò manet ecce tribunal,
Non vllis precibus, non exorabile fletu,
Non venale opibus, non euitabile & astu.
Hactenus an numen non fat risere scelesti?

Fallor? an hæc frustra narratur fabula furdo?
Hiq̃ue saluriferi monitus funduntur in auras?

An tuba terrificum stridens non insonat istis
Auribus? an fluuius non flammeus, omnia verrens,
Terraq̃ue, tractusq̃ue maris, cælumq̃ue profundum?

Antè tuum argentum pauloque euanuit aurum:
An plumbum, æs flammis, ferrumue vlticibus istis,
An lignum, stipulæ sue leues, fenique caduci

Metas

Metas (quale opus omne tuum est) ô stulte referuas?
 Tum noua, tum facies magni splendet olympi.
 Luna, nouos vultus capies, tuque auree Phœbe:
 Tum mare, tum tellus, decuplo & purgatio aër,
 In sese recidet, dum deflagauerit ignis:

At rogas ille vorax manet, æternumque manebit,
 Qui vindicta Dei, surgentis origine mundi,
 Dæmonas addixit, fœdo & damnauit Auerno.

Nil tua tantillo melior fors, nî respicias,
 Nî pia saluifico Metanæa piacula fletu
 Diluat, attritumque malis, & casibus aspris
 Præcoquat, incensum pulchræ virtutis amore.

Si lignum, stipulæque absint ferrique dometur
 Durities, plumbi grauitas, mendacia & æris
 Abscedant, nitor argenti concedat & auro:
 Nomina tum rebus quadrabunt lite soluta,
 Obrizi rutilo nomen qui ducis ab auro.
 Aureus (haud spes vana) merebere dicier olim,
 Aureus exterius, vel plusquam gemmeus intus:
 Sic & vt inuideant furui tibi regna barathri.

EPISTOLA 6.

AD IOANNEM LAUERIVM CAN-
sorem, & Canonicum Atrebatensem consolatoria in
mortefororis Ioannæ optimæ mulieris.

Serius audita forte infelicis amici,
 (Si quisquam infelix, cæli qui scribitur hæres)
 Serius absenti scribo officiosus amico:
 Quanquam, quod citius præstare nequi uero, non est
 Tardius officium; veram nec habet mora culpam.

Ergo Lauerius (cuius mihi pectore vultus
 Legitur assiduè, nihilo qui me minus ardet)
 Fata suæ queritur germanæ, luget ademptam,
 Non doleat? quæ tam germana luxit ademptum,
 Abductum comitem, Francisco à præfule nuper

Pontificum

Franc. Ri-
chardotus
Atrebat.
Epif.

Pontificum ad sedes, vrbis prærupta Tridenti?
 Præproperam vt mortem accersisse dolore putetur.

Non doleat concordem animam dilcedere viuis?
 Tam pulchrè notam diuturni temporis vsu,
 Atque tot officiis, insignem cælibe vita?

Vidi ego, conscenso quum frater triste caballo
 Efferet: Germana vale, dilcedere cogor,
 Non lacrimas tenuisse suas, vultusque viriles
 Corde erumpentem non dissimulasse dolorem:
 Contrà adnitentem Germanam plurima fari,
 Comprellis lacrimis exorsus limine sermo
 Destituit: comites sustentauere labantem:
 Quod tantum perculsa potest, prospectat euntem
 Germanum. stupidam comes ipse in tecta reduci
 Edico, atque epulis, igni, vinoque foueri.

Per multos filet illa dies, & corde dolorem
 Mæsta premit. quoties conuiuia adire iubetur,
 Excedit, fratrem velut inuentura profectum.
 Vnum præcipuos efflagitat inter amicos:
 In plateis vnum, & sacra suspirat in æde.
 Mane salutatam exoptat, seu vespere sero.
 Concinnat, sacra quod frater ab æde reuersus
 Degustet, victu recreare oblita seipsam.
 Interea febris tabentes exedit artus,
 Pallida dum medio confixam flore iuuentæ
 Mors intercipiat sociandam lumine cassis.

Terrarum spatia emensus iam denique frater
 Contingit paruos fines, & nota Duaci
 Menta, salua domi dum, num sint omnia saluus
 Expetit, extinctam modò discit abesse Sororem:
 Illicet infixum sentit sibi pectore vulnus.

Ingenuè fateor: tam me doluisse dolente
 Lauerio, meminiquàm me doluisse dolente
 Lauerium, dum fortuna iactarer iniqua.
 Si verè perhibent, fidis communia amicis
 Omnia (verè vt sunt) dolor est communis amicis.
 Germanæ interitum percharus luget a micis:

C

Non

Non doleam? cessem solatia mittere tristis?

Si verò asperius quid dixerò, parce medenti.

Nam nec inoffenso capiuntur pharmaca gustu,

Quidquid sorbitio circumlita melle moretur.

Fortè parum firmum carpsam; me carpsero & ipsum,

Quem pudet imbellem toties cessisse dolori.

Et vetus, & verum est; Nemo nisi læditur ab se:

Quàm vetus est illud verbum, tam sentio verum

Dum doleo, idque volens, causasque requiro dolendi.

Longa dies adimit stulto, minuitque dolorem;

Improbis inuenio causas & mille dolendi.

Humanum scio, nec dignum culpa esse dolere:

Non ferro duras præfractior exigo fibras,

Qui prius (vt dixi) in partem iam venero luctus.

Turpe dolere diu, certum nec ponere finem.

Liberior ratio celsa dum regnat in arce,

Tum vi enitendum, me iudice, dum minor hostis,

Dum refugit: tum constiterit victoria paruo.

Quid tibi profuerit tot luctus necere causas?

Sic deiectum animo, turpi indulgere dolori?

Expeditam, auertas quibus armis fortiter hostem.

Septa fide ratio depugnet, nescia vinci.

Mortua germana est? naturæ debita soluit,

Finit innumeros vitæ pertæsa labores.

Mors aditus vitæ est; mutauit funere vitam:

Effugit vitæ discrimina, mortua viuit,

Nimirum cui mors fuerat, cui viuere Christus.

Cernis, quo res nostra loco, qui vescimur aura

Ætherea? quot dissidiis propè dissilit orbis?

Certant inter se placitis discordibus vrbes,

Plusque quaterdenis discordia gliscit ab annis,

Annos in totidem vix componenda sequentes,

Ni Deus ipse animos studia in meliora reflectat.

Relligio in sectas abiit: fabricator olympi

In ius mortali propè sacra voce vocatur.

Exulat ordo sacer, vel morti deditur atræ:

Nusquam tuta quies, dum bellis omnia feruent:

Gnatus

Gnatus & in patrem armatur, pater arma capeffit

In gnatum: thalami conforis suspecta marito est.

Non Rex à populo, non hospes ab hospite tutus.

Grassatur cædes in agro, grassatur in vrbe.

Tantum non rapidis absorpti fluctibus omnes

Pendemus: mors in summis est vnica votis.

Et tu communi dubius discrimine retum,

Germanam quereris portus subiisse secundos,

Post exantlatos properata morte labores?

Gaudeat angelicis germana immista choreis:

Germanus, veto, cælestum flens gaudia turbet,

Ni velit inuidiæ fugienda labe notari,

Quem petit assimilem cælestis curia ciuem.

EPISTOLA 7.

Ad Theobaldum Fabrum.

TE iubeo, si viuis adhuc, Theobalde, valere,
Seu Latium, seu te iam Gallia gaudet alumno.

Nunc valeo, si forte valet, qui viuere vix scit;

Quamuis edoctus te viuere præduce, cui tu

Sis solitus vitæ bonus instillare liquores

Ætheræ, Christi elicitos è dogmate puro:

Dum miser ad repi prærupti ad culmina montis,

Quo noctes aliquot memini consumere tecum

In tegete exiguo, tenuis sub fornice tecti.

Non procerum luxus, operosæ impendia mensæ

Optabam, fluxi exosus contagia sæcli.

Tu me hortabaris, sanctæ ad commercia vitæ

Proliciens, sacri iaciendaque semina verbi:

Munus ad hoc namque appositum narrare solebas,

Messurumque ab eo magnos prædicere fructus:

Contra vix quidquam dictis ego credulus istis,

Ingenium causabar hebes, cum corpore tardo,

Quòd neutrum valeat tantos perferre labores,

Desperans sanam male sano in corpore mentem.

Sæpius has aures tenuit, qui sermo fluebat
De rebus tibi diuinis, vitæque perenni,
De Christoque tuo, & Christi genitoris amore.

Tu condire cibos es nomine suctus Iesu,
Dilutiæque meri laticem: nulla hora vacabat,
Nisi studiis impensa bonis, manuümue labori,
Aut precibus sacris, clauso quas lumine vtroque
Aurea feruentem iaculati ad sidera vidi.

Dulce tibi abstruso fuerat penetralibus imis
Cum rerum Domino, cum cæli ciuibus ipsis
Colloquium miscere, pioque afflari æstu.

Scilicet hinc rerum euentus prædicere noras:

Francisci. Qualia Francigeni memorabas fata Monarchæ,
Lapsurum agricolæ æstiuis ardoribus imbrem,
Plurima, quæ liquidas haud fas efferre sub auras.
Tu me robustum macilento corpore dixisti
Post tres hebdomadas firmum fore: iam licet ægro
Binæ hyemes, binæ æstates, Theobalde, perissent,
Tædia perpeffo diuturni immitia morbi.

Sæpius inculcas: Tibi multa ferenda supersunt,
Multa, Roberte, tibi durissima tempore longo.
Annis quot? rogo. Tu senos, tu mox quoque denos
Adiicis, & plures: parui mihi cuncta videntur
Momenti, sacros liceat si voluere libros,
Cælituum & Regem tranquilla mente precari,
Tempore quod tanto bonitas diuina negarat.

Eueniet tandem post tempora longa, quod optas,
Respondes: miser ô, quos perpetiere dolores?

Quos subiturus abis casus, seriemue laborum?
Quam video Iliadem misero impendere malorum?
Digredior: namque hyberni inclementia cæli
Linquere cogebat gelidi fastigia montis

Parisi. Parisios repeto: iam luna recreuerat orbe
Plusquam dimidio, umbranti rarefcere lumen
Cœperat, & geminum vacuæ prætereundere cornu:
Obrizi in vultu socius notat, ecce, ruborem,
Exclamans, melius deinceps, ait ille, valebis:

Arguit

Arguit insolito id facies suffusa rubore.

Omne fœlici conuictus vera locutum
Te fateor, Domino non segnem dicere laudes.

Interea lucem videt aduentare supremam
Confectus senio Mæcenæ: noxius humor
Illi distendit medium sub pectore ventrem.
In patriam reuocare suo pro iure, nepotem
Accelerat: defert senis ad me littera duplex
Mandatum. Tellus boreali stricta rigore
Horrebat, Iano in mensem labente secundum.
Quid facerem? longumne iter hoc, vix corpore firmus
Suscipiam. Tenerum Borealia frigora terrent.

Iam vero alterius violem mandata parentis,
Excultæ duplicis cui debeo dona Mineruæ?
Ire per & glaciem potius, ventosque niuales
Certum est, absentem quam dulcis auuncule, frustra,
Membra toro fusus, sub fat a extrema requiras.

Carpo viam: comites Dionysi ad fana sequuntur
Progressum: cedit Boreas: ruit humidus Auster,
Acrem hyemem soluit demissis imbribus attris.
Ablego comites procedere sponte paratos,
Ire nisi ulterius cælo aduersante vetarem.

Increfcunt iuges pluuiæ: cœnosa fatigat
Terra viatorem, sura tenus; vsque viator
Dum patrios tangat fines: vestigia pono
Soliuagus, pluuiis madidus, pede nudus vtroque.
Atrebatifessum tandem lux septima sistit.

Gratatur reducem Mæcenæ, dulce futurum
Adiicit esse sibi, me viso, excedere terris.
Et lucem, & terras terno post mense reliquit.

Pastor amicorum precibus succedere cogor
Pastori extincto, consultum si quid honori
Esse meo cupiam. nam detrectare laborem
Iam quidam aiebant, Acadèmia quod mihi cordi
Gallica sit, gemino quam Sequana diuidit amne:

Vt or amicitia multorum ad quattuor annos:
Quarto inimicitias sensi, dictæria, risus,

C 3

Futilis

*Nicolaus
Dionysius
Mæcenæ
& Auunculus Au-
toris.*

Futilis aut aliàs sceleratæ opprobria turbæ,
Multiplices morbos, & cauti dæmonis artes.

Heu quoties me me offendere sinistra proborum
Iudicia, & sannæ; quos turba maligna susurris
Lucrata est leuibus, ficto & rumore nefando?

Durius hoc, Evangelicæ quòd præco salutis
Vulgus apud stupidum traducor: quòd pia turba
Aut me diuini spargentem semina verbi,
Orantem sacras aut auerfat ad aras.

Iudicat indignum pars, qui mysteria porter,
Auribus & faciat coram qui verba popello.
Pars euangelio, Obrizi quod prodiit ore,
Illudat, vereor, dicto insultetue procaci,
Blanditura suis vitiis: hoc me acriter vrit,
Cui non tam graue sit, proprio se nomine passim
Cantari scurris, quam credita munia temni.
Hic, inquam, dolor haud modico me tempore torsit:
Dum me, dum Domino mea credere cuncta subiret,
Sic de more suos variè exercere suèto.

Atque vtinam immundi contagia cætera sæcli
Effugiam; frontem nec culpa rubore notaret
Voluenti quinis commissa piacula iustis;
Nam totidem fluxere, Fabri cum cernere vultus,
Atque audire datum est linguæ documenta disertæ,
Cordibus in nostris Christi renouantis amorem.

Eheu, quis sine me tam fortunatus in orbe,
Qui te collapsos reuocantem in pristina mores
Audiat? huc cursu haud pigeat me præpete ferri,
Si te mortali meditantem in corpore vitam
Spes foret aspicere, & lapsus sarcire priores.

Obstant Christigenum plusquam ciuilia bella;
Fata obstant; vota hæc volucres rapiuntur in auras.
Ni tanti præfaga mali me mens mea fallit,
Ausonidum regio aut te Gallia luget ademtum:
At te subuectum plaudunt ad sidera ciues
Ætherei, ne tot surgentia monstra videres,
Queis pietas odio, effrenisque licentia cordi.

Salue,

Salue, sancte pater, seu te mortalibus oris
Terra senem retinet; seu te iam curia ciuem
Cæcicolûm accepit: nostros miserare labores,
Et, quod apud Christum potes, impartire Roberto.
Sic tua, sic diuis communia gaudia crescant:
Sic memori semper tua dogmata pectore seruem.

EPISTOLA 8.

AD ROBERTUM ROSAM ROBERTUS

Obrizius de segete, que initio quidem uberrima, in stipulas miserrime degenerauerit, Anno 1567.

VT, Rosa, commune est mecum tibi nomē amico,
Communi affectum sic te mihi cerno dolore.
Quid doleam, aut metuam, cōmuniter accipe mecum.
Ergo hominem ad pœnas iurata elementa reposcunt,
Suppliciis necdum contenta prioribus? ecce
Arua renidenti flauabant aurea messe:
Quælibet aucta nouis turgebat fœtibus arbor:
Cernere erat curuas pomorum pondere matres
Collabi, sustentaret nî furca labantes.
Agricola insolitum mirari, & plaudere fœnus:
Horrea fœlicis distendere frugibus anni,
Fallaci tumidus successu præcipere & spem.
Mirari rude vulgus opes: sed temnere diuos,
Et struere immodico conuiuia pinguia luxu,
Assuetum, nihil aut parcè persoluerè grates.
Ecce, repente ruens pluuialibus Auster ab oris
Agglomerat nubes, tempestatesque sonoras
Excitat: horrendo tellus fremit icta fragore.
Nec mora, præcipiti commistus fulmine turbo
Prosternit sata læta solo, frugisque beatas:
In ventos abeunt frustrati gaudia vulgi.
Ne verò arborei hæc fugiant incommoda fructus,
Vidi ego luctantes ramis confligere ramos.

His

His vno non bella die, non nocte dirempta,
 In luces multas, extracta & prælia noctes,
 Dum spoliata suis gemat vndique fructibus arbor.
 Quid causæ esse rear? tanta hæc expendere cunctos
 Téque velim mecum, factique euoluere causam.
 Peccat Rex, populus, princeps, vetulusque, puerque,
 Diues, inops: peccat detonso crine Sacerdos,
 Quæque cohors purum Christi proficitur amorem.
 Plus satis agnosco, tenear quo crimine. Quid clam,
 Quidue palam propè corrupto peccetur in orbe,
 Promere non possum iussus, memorare nec ausim.
 At tot prodigiis exterritus hæreo: Quid non
 Augurer humano generi, metuámue sinistrum,
 Cui semel ostensas tellus neget inuida fruges?
 An non dignus homo est terra? non æthere dignus,
 Hostis cui ventus, cui bellum nuntiet æther?
 Auerte, ô Genitor, præfugia tristia nobis,
 Humanumque leues solita pietate laborem.

EPISTOLA 9.

AD FRIDERICUM IAMOTIVM ME-
dicum Doctorem, & optimum Poëtam.

DOtibus ingenii præstantem turpiter hirtus
 Ingenio; fama celebri super æthera notum,
 Abditus, obscurus, toraque inglorius vrbe;
 Iudicio insignem, & linguis, fandi que peritum,
 Pæonijs dextrè medicantem corpora succis,
 Nominis & primi iubeo saluere poëtam
 Versificator iners, & homuncio naris obesæ.

Si quis forte roget: Quænam hæc audacia? paucis
 Accipiat. Communis vtrique hoc patria fecit
 Audere, amotóque metu, turpique pudore;
 Patria, natiuo quæ fædere iungit alumnos.

Ius præter patriæ, cui nos concedere par est,
 Exigit hoc probitas, virtus, candor que iamoti.

Ergo

Ergo age, sinceri sincerus amicus amici
 Qualecumque habeat versus, et pignora seruet,
 Dum dabitur propius iungi, dum iungere dextras.

EPISTOLA 10.

Ad Iacobum Tullanum discipulum.

TEn' sic despondere animum, Tullane, dolori
 Ut male succumbas? nec te fulcire labores
 Victorem ornandum cælestis honore coronæ?
 Aspice (nec fluxi tenearis imagine sæcli)
 In manibus Christi ter puro vt splendeat auro,
 Vndique textilibus ter cincta, et lucida gemmis.
 Illa viros fortes dura in certamina mittit
 Spe firma arrectos, virtutis amore calentes.
 Perge, breuem sequitur mercès æterna laborem.

Tu mihi commisso puerili de grege lectus
 Semper adhæsisti; haud modicis tu sumptibus altus
 Hactenus es nobis: tu nostro huc vsque labore
 Mystrarum in numerum transisti: proinde cauendum,
 Ne quid spe nostra, ne sacro munere quidquam
 Indignum malè designes. en totius vrbis
 In te coniectos oculos circumspice: At istud
 Sit leue, Cunctipotens nî te prospectet ab alto,
 Peruigil et renum, et cordis speculator opaci:
 Teste Deo, nil impunè, et nil Iudice faxis.

In miserum certè non vno nomine tempus
 Incidimus, potior quò passim euiluit ordo.
 Danda vtrique opera est, ne nos plebecula nostro
 Traducat merito, ludos plausumque theatri.

Non ego, iam multis quamquam te grandior annis,
 Glorior instabilis superata pericula vitæ.
 Sunt quæ visa mihi; sunt, quæ haud prouisa mimentur
 Exitium, nî me Christo duce, & auspice tuter,
 Méque sacris properem recreare subinde hbellis.
 Languida, ceu diram fuge, si sapias, otia pestem.

D

Con-

Congressus fuge fœmineos: ieiunia macro
 Longa licet vultu prætendat fœmina terram
 Aspectans, Christi cui nil nisi nomen in ore,
 Ne confide tibi, Iuuenis, confide nec illi,
 Neu contingat: dedit labem contagio. Quid si
 Vina inter, dubiæ & lautissima fercula cœnæ
 Tortilibus cirris, & fracto ludat ocello?
 Naufragus æquoreas citius vitaueris vndas,
 Quàm non concipiant ignitos viscera motus.
 Ne verò tantum tribuas tibi tempore in vlllo,
 Vt stolidus per te quidquam præstare potis sis:
 Deposcenda tibi diuina potentia votis
 Iugibus, & lacrimis nonnunquam & pectore puro.
 Numen amat semper, verùm hac ratione rogari.
 Et quid te moneam per singula? plurima coram
 Sæpius audisti: Iam plura aduertis adultus,
 Incolumem sicco queis listas littore nauium,
 Abstulerit si me nauclerum grandior ætas.

EPISTOLA II.

AD GULIELMUM A CRUCE
 Regis Consiliarium.

NON facile est hominū, nec opus, cuiusq; probari:
 Omne tulit punctum qui sectatoribus æqui,
 Qui placet innocuo, qui Cunctipotentis amanti.
 Turba hominum valeat, cui ludus temnere diuos.
 Tales spernere, & his sperni, primaria laus est:
 Altera laus placuisse bonis, placuisse modestis,
 Quos vehit ad summos studium virtutis honores.
 Quorum iudice me, meus, & præcone fidei,
 Haududum Crucius splendet conscriptus in albo,
 Atrebatas inter præsignis honore togatos.
 Huic, nec dissimulem quidquam, me grator amari,
 Numinis egregio cultori, Iuris amico,
 Et, quas concoxit sedato pectore, legum.

Huic

Huic nec cura domus minor est, sociæque iugalis,
 Cui Deus & formam donat, moresque pudicos,
 Et tria coniugio dignissima pignora sancto.
 E tribus excellit roseæ virguncula formæ,
 Dotibus: è reliquis natu mihi maior alumnus.
 Formatur vigili cura, multoque labore,
 Vt patriis tandem votis respondeat. Ambis
 Hoc vnum genitor, genitrix & amabilis ambit,
 Prouectus studio veri, & pieratis auitæ.
 Ambos vt gnatus referat, vincatue parentes.
 Hoc & idem superos posco formator, vt omnem
 Obrizi exuperet culturam, operamque magistri.
 Id mihi venturos liceat si cernere in annos,
 Non minima gaudens in lucri parte reponam,
 Quod desiderio Deus indulgebit amici.
 Interea cogor tibi verum aperire, vereri
 Me nimis, & rota mihi serpere fronte ruborem,
 Dum te, dumque tui similes contempler amicos
 (Dicere tantorum liceat quod pace virorum)
 Iudicio falli, in delectu talis, amore
 Perstringente oculos: doctus licet è grege docto
 Acriter olfacias quàm plurima nare sagaci.
 Ipse parum ingenio quàm possum, quàm minus vsu,
 Quàm virtute nihil, iam noui tempore ab illo,
 Quo me contigit in meipsum descendere: vt illic
 Omnia perspexi vanissima, maximè & illud
 Quod quereris, Persi, humanis in rebus inane.
 Ingenio dicas quiddam præstare, vel vsu
 Esse aliquid: sed quid tantillum vtrumque meretur,
 Si virtus inopi deficit? si spesque, fidesque,
 Christi ignitus amor, siue vnum claudicat horum?
 Si terræ affixus, cælestia cogito nunquam?
 Iudico ridiculum, cuius cana dextra repertis
 E fluuijs haurit, puero monstante, liquorem:
 Ridiculus mage sim cuius beluæ palato
 Vix fatis argento sint vina exhausta, vel auro.
 Haud melior ratio est, si magno pondere gazas

D 2

In mare

Persius.

Diogenes
Cynicus.

Gratu. In mare iactantem, Sophiæ nocentaparandę,
 Arguo, ceu stolidum: fugiens si viuere paruo,
 Quas negat vsus opes, partas aliunde requiram,
 Forsitan et partis parturus, non mihi egeno.
 Lassatur, fugitat Christus, fitit, esurit, alget,
 Vera Dei proles, superę laus et decus aule:
 Christicolę titulos, et splendida nomina iactans,
 Christum inopem in cęlũ comitabor onustus opum vit
 Gleba ego putrescens, telluris inutile pondus,
 Mancipium mortis, prelaurę impendia mensę
 Continuata sequar, securę et gaudia vite?
 Sedulus expendo peccata aliena, nihilque
 Iudicis ad partes quod spectet, omitto, seueri:
 Ad me cum venio, leuiter: mihi blandior ipsi,
 Sæpius et vitij, et culpę non conscius vllę.
 Si reuoco ad pectus, quę post mihi terga latebant,
 (Accidit id crebro sub prima crepuscula lucis,
 Quum vacat à somno, quum depuratio est mens)
 Quam solus mihi displiceo? quam sordeo totus,
 In conspectu hominum pastoris munere qui me
 Vendito, suggestu, sacra sublimis et ara:
 Pensito si binas æquali examine lances,
 Hinc atque hinc mala quę feci, seu quę bona, librans,
 In mala præcipitat sine compare deterior lanx.
 Hinc dolor, hinc lacrimę, iusti hinc occasio fletus:
 Anxia peruigiles arrodunt pectora noxę,
 Vsq̄ sui vltrices auctoris. facta puelli,
 Facta viri incutiunt æquo propę marte timorem;
 Deiectusque animo succumbam, ni cruce Christi
 Me me sustineam lapsantem: speque, fideque
 Ni bene suffultus, cęli conuexa tenentem
 Intuear, mundi qui crimina morte piavit,
 Obstructosque aditus moriens patefecit olympi.
 Hęc spes est viuo, fultura hęc vna cadenti;
 Nec melius quisquam, quo se confirmet, habebit,
 Pectore quem tacito sua mecum admissa remordent.

*AD FEDERICVM FAMOTIVM,
 Doctorem Medicum, & Patiam.*

I Amotus (nec quid minuit præsentia famam)
 Visus heri nobis, perspecta modestia, rerum
 Multiplici semper sub cognitione renidens,
 Contemptorque sui, laudare aliena profusus.
 Rara fides (sed in hoc est compertissima) famę:
 At nec ei fidam celebranti parcus illum,
 Cuius laude minor laus est, et nomine nomen.
 Nec tibi (pace tua quod, Sylui, dixero) credam
 Nunc quoque præconi: virtutum quantula amici
 Portio, iamotum toties dum laudibus ornas,
 Auribus his per te ingesta est? tamen hoc fore dixi,
 Vt mage præsentem præsens mirarer amicum.
 Verius hoc vero est; nec te sententia, nec me,
 Illius est postquam virtus mihi nota, fefellit.
 Hęc mihi pars anni candente notanda lapillo,
 Qua, spumante mero lætus se vinitor explet
 Ante focum, dulci que graues cum conjugę curas
 Diluit, exhaustosque anno vertente labores:
 Tangere qua palmas, et honestos cernere vultus
 Milicuit, iamote, tuos, post tot pia vota.
 Quid? labor assiduus tibi verrit ab hellade messem
 Solerti, ingentes quę rumpat turgida cellas,
 Ni celebres Sobolem vnigenam patris ore Pelasgo,
 Verba Sophocleō nunc fundens digna cothurno,
 Tinnula Pindaricis nunc aptans earmina neruis,
 Dissimiliue cestro diuina poemata pangas,
 Quę sua Musæus, vel quę sua iuret Homerus?
 Hoc tibi persuade, nobis fore te bis amicum,
 Si tibi doctiloquo spireret Seruator ab ore.

D. Bene- Mundi Roma caput, nutrit quem fouit alumnum,
dictus Spelunca procul horribili, & pædore iacentem;
Nurfinus. Nec visum, quo tempore sol ter coxit aristas,
 Ter rediens vertente anno: quo bruma reuexit
 Frigus, & albentes, ter pulsa æstate, pruinâs.
 Tantus amor fuerat rebus succurrere fessis,
 Errantem & populum sub signa reducere Christi.

Fastum igitur sæcli fugientis, & effuge labem,
 Principis ad Christi, Benedicti ad militis instar
 Corruptos hominum mores lûgere professus.

Grande opus hoc, fugisse olidi contagia sæcli,
 Si mens ipsa tibi salua est, cum corpore saluo.
 Atque adeo, non visa tibi est in schemate picto
 Lothi vxor, præter superi quæ iussa ministri

Lothus Tergo oculum intorquens, salis in simulacra rigescit,
Gen. cap. Exemplo vt veteri sapias? nam quisquis aratro
19. Sulcat humum, deselque oculos post terga reflectit
 Inter opus, minus ætheræ sit idoneus aulæ.

Cui sapiunt cæpæ, cui pinguis edulia lardi,
 Quæ duo fumosis habuit Pharus atra culinis,
 Semper huic subeant dulcis fastidia mannæ.

Iam tibi nec genitor puerilia corda fatiget,
 Nec genitricis amor, germani aut cura relictî:
 Sit pater æternus cordi, sit dulcis Iesu
 Virgo parens. Quid adhuc ambis, si frater Iesus?
 Quid? plures tibi millenis annuntio fratres,
 Moribus & niueis, niueisque in vestibus omnes,
 Fronte, oculis alacres, ad ludicra honesta paratos,
 A te quos videas latum haud discedere culmum,
 Omnia inoffensis vt sint tibi peruia plantis.

Quid moror? Angelicas à tergo, à fronte cætuas,
 Quæis vólupè est, simplex agmen puenile tueri,
 Præscripto superi simul & virtute Parentis.

Inque acie hac, surgunt metuendi robore tanto
 Interdum, qui nequam homines, in colla molari
 Iniecto, pelagi proturbent fluctibus imis,
 Si pesselum dederint noxa grauiore puellum.

Ardor

Ardor, idem & studium stygias auertere fraudes
 Omnibus est, conferre manum, pr opellere & attri
 Non vnos Ditis cuneos; noctesque, diesque,
 Infomni pueros circum traducere cura.

Nec satis esse putes mundi vitasse tumultus,
 Siue catenatos vitæ fugisse labores;
 Marcida ni caueas, imbellis & oria Mandræ,
 Otia mille animi pestes, & pabula mortis.

Iniunctum tu semper opus, seu quid secus, vrge
 Sponte tua arreptum; fiscellam texere iunco
 Seu libeat, cistas lento seu vimine, seu quid
 Et phrygia mediteris acu, quod in ædis honorem
 Cedat, & ornatus, vel egeni comoda fratris.
 Luditur egregiè technis, atque artibus istis
 Adrepens tacitè fallax dominator Auerni.
 O ne ambas vnquam dormi securus in aures,
 Liber ab insidiis non luce, aut nocte futurus.
 Omnia tuta vides, & ab omni parte quieta?
 In caput ille tuum, simulato federe, ferrur,
 Mille dolos versans, artes & mille nocendi.
 Nam quò tectior est, hoc ille nocentior hostis,
 Sæpe sub angelica vel fallere luce suctus.

Nunc lupus in nebula pellem ementitur ouinam,
 Nunc tergum arrectus Getuli immane leonis
 Rugitu horrendus, huc distorquetur, & illuc
 In girum, affectans quam faucibus hauriat escam.
 Informisue aliàs circumgemit vrsus ouile,
 Qualem in cænobij possis aduertere septis
 Istius ingrediens; duplici qui nomine nobis
 Tempus ad hoc alitur; ne religionis auitæ
 Neglectu, in mores nos rursus abire ferinos
 Degeneres meritò carpamur, rursus ab vrsu
 Vastandi, qui culta vides quæ nunc loca, prisco
 Tempore possedit, rapta ditione fugatus
 Pontificis quondam precibus votisque Vedasti.
 Altera & in promptu ratio est; informis vt vrsi
 Calliditas oculis nonnunquam obiecta cauere

E

Iugiter

Iugiter edoceat nigri Cacodæmonis astum.
 Ille tibi insidias blando struit ore iocanti
 Ridiculum aridens, quaquà datur, auribus hirtis.
 Tu vinculis preme compressum, & præsepibus arctis.
 Molliter educto Clathris lasciuiet vnguï:
 At tacitus tibi bella coquit, cædemque cruentam,
 Stultitia insigni per ludicra prælia solers.
 Quantumvis placidus lambat digitosque, manusque,
 Vrsus erit: Dæmon nihil est diuersus ab illo.
 Forsitan obtutu miraberis ardua primo
 Claustrorum: causam respondeo nempe roganti,
 Nil opus esse loco, bis se qui in iugera mille
 Porrigat, æthereos cordi via cui sit ad axes.
 Hinc breue ducit iter cælo, quo Pyramis alta
 Aërias superans nubes, fastigia tollit
 Prodigio cunctis visendo molis acutæ,
 Præcipuè monachis, hæc infima spernere doctrix.
 Ergo caue importes sacra hæc in septa volantum
 Agmina curarum, nummi splendentis amorem,
 Iram, odiûmque tenax, stimulos liuoris iniqui,
 Siue gulæ luxum, fastus seu mentis inanes,
 Desidiam, Venerisque illectamenta nefandæ.
 Namque illata semel, vix vnquam excludere possis.
 Vsq̄ue adeo in peius vitiorum examina gliscunt,
 Quamquam angusta situ, & studiis cõtermina sanctis.
 Atque agedum portæ procul abiice limine nugas
 Terrigenûm, chartasque leues, & munus amici,
 Et consanguineæ prædulcia crustula gentis;
 Aut præfectorum ad nutus accepta libenter
 Diuide in æquales sociorum effusior vsus.
 Ah ne efferre pedem libeat per rura, per vrbes,
 Sectari in populis operosæ & fercula cœnæ,
 Lusibus, & vanis stultè indulgere choreis.
 Detonsûmque caput iactare per aëra saltu
 Per medios cœtus: libeat nisi perdere quos tu
 Strenuus abstuleris monachismi cultor honores.
 Iamne sat arridet tibi vita monastica? Iam sat

*Benedi-
 ctus in
 Reg. ca.
 54.*

Verfasti

Verfasti, quid ferre queant, quid ferre recusent
 Isti habiles humeri? iusto te robore fultum
 Numinis auxilio censes? pulsa æthera, pulsa
 Continuis precibus, voto & feruente vocatum
 Suauiter illabens in pectora concipe Numen.
 Aude afflante Deo (quid enim sine numine possis?)
 Iurare intrepidus Benedicti in verba magistri,
 Tempore præscripto vertente, & doctior vsu
 Ferrefamem, tolerare sitim, contemnere somnos,
 Hybernas ridere niues, & sidera cancri,
 Et carpi, sternique solo, digitoque notari,
 Naribus atque vncis, compulsus pendere pœnas;
 Vile ministerium, iussosque subire labores
 Præclaro cœtus focii, exemploque minorum:
 Siue precum multam postrema soluere sede,
 Inque dies placidæ seruire silentia nocti.
 His alitur pia mens, & depuratio exit
 Ad Domini laudes noctuque, diuque canendas.
 Huc si iam fuerit ventum, quocumque relicto
 Quod se offert opere, aduerte ad cælestia mentem:
 Coge leues animi motus, & transfer olympo.
 Hoc age quod patres, quod tempus & exigit, & res,
 Et sacer ipse locus. Cane, cessa, ritè precare,
 Teste Deo quæcunque geris, volucriue corona
 Cælituum, ne tantum homines vereare magistros.
 Siste tamen cœtu in medio, cantusque sonoros,
 Siue animi tacitos, patre præcipiente, precatus.
 Pura, breuis, subnixâ fide est oratio? recta est:
 Illa penes cæli Dominum graue pondus habebit.
 Inrerea cernes peragi mysteria, nullis
 Non veneranda modis. Deus hic tibi terque, quaterque;
 Suspiciendus adest, tibi fœdere iunctior arcto,
 Dignatusque tibi delapsus viuere cælo;
 Dignatusque mori. Quid si, quem viscera in ima
 Traijciamus, habes? posthac te viuere, & illi
 Tene mori pigeat? solus venit ille tuendus,
 Solus in erecto sublimis stipite cunctos.

*Ben. Reg.
 ca. 43. 44.*

*Ben. Reg.
 cap. 20.*

E 2

Ad

Ad sese alliciens, ad amica incendia amoris
 Vi dominante trahens, imiteris vt vnus, & vnum
 Effingens studiis, supremę in funera vitę,
 Arreptus tellure procul, vicinior astris,
 Corporea si mole minus, saltem alite voto
 Pectoris, atque animi findentis nubila saltu.
 Non idem qui nuper eras, tibi mortuus ipse,
 Nec iuris nunc inde tui: diuinus at ipse
 Viuens in stupido deiformem corpore vitam.

Hęc si perficias, minus experiere molestum
 Pręfectis parere tuis, summoque parenti,
 Arbitriis hominumque regi, quos & Deus illuc
 Extulit, vt te te virtutum in culmine sistant
 Confixum Christi opprobriis, clauoque trabali,
 Aptantem manibusque manus, atque oribus ora,
 Quidquid tempore & hoc adhiberet inuidus anguis
 Lymphatorum odiis vtens, cęcoque furore.

Vndique tum sacros spirare videberis ignes
 Voce, oculis, gestu Christi efformatus ad instar,
 Velle tuum abiurans, & in omnes moriger actus.

Hęc lux sollicitę fax est & pręuia vitę,
 Cuius ad aspectus mortalis quisque tonantem
 Voce canit, viso persoluens lumine grates,
 Adiubar oblatum velox componere mores.

Tempora nec pullo tantum velata cucullo (to
 Te prodent monachum, seu templi in fornice, in hor-
 Inque viis, ciues inter, seu rure morantem:
 Sed facies composita viro, sedatęque mentis
 Iudicia, placidę sanos diffusa per artes.

Reg. ca. 7. Conspectus populis (absit simulatio) paullum
 Obstipus capite, & defigens lumine terram,
 Iudicis æterni trepidare videberis ora,
 Aut proprię metuens, alienę aut crimina culpe.
 Interdum modicę sustolles lumina cęlo,
 Fidere te vulgus, sperare & læta notabit.

Seu quid agis, seu quid tacito sub corde volutas,
 In primis tibi mundities interna paretur

Grata

Grata Deo, geniisque bonis, inamabilis orco,
 Gloriolę expultrix, irę, fastusque flagellum,
 Pestis auaritię, luxus, liuoris amari,
 Hostis acerba gulę, ventri que perennę voraci.

Hinc bene compositę tranquilla silentia mentis,
 Primus & æthereo manat de nectare gustus,
 Et quid dico? Deus purgato pectore gaudet.

Hanc animi pacem Stygius turbare fatelles
 Acriter inuigilat: tu contra firmior ito,
 Cominus exturbans, aut arce ns eminus hostem
 Missilibus telis, verbūe bicuspide ferro.

Nullum non mouet is lapidem, fratrumue susurris
 Leniter arridens, vel aperto pręlia Marte
 Dura ciens, indefessus dum subruat arcem:
 Nī scutata fides, & spes exercita duris
 Auxilium ferat, & domitrix patientia rerum.

Hoc quicumque modo se comparat, ille perenni
 Perfruitur requie, nil tempestatibus atris
 Concutitur, rebus nī soluitur ille secundis,
 Peruigil excubitor, fortuna immotus vtrauis.
 De pietate Dei, de seruatoris amore,
 Rebus pręteritis, pręsentibus, atque futuris,
 Consiliūe Dei, cum reētis optima sentit:
 Indagator iners, submissus cognitor, vt qui
 Vterius quām quod concessum, haud scire labore:
 Luce hilaris media, & caligine noctis opacę:
 Diues, inops, nullo discrimine, murmure nullo,
 Omnia de Domini rapiens solatia dextra;
 Opprobrij, & virgę patiens, patiensque dolorum,
 Seu culpa dolet ipse sua, seu læsus ab vlllo,
 Dura pati assuefcens & mente, & pectore læto,
 Cuncta accepta ferens decreto numinis alti.

Nec minus interea reueretur, amatus magistrus
 Conspicius meritis, splendentis & ordine vitę,
 Ipse Dei causa, qui quos vult tollit in altum,
 Quamlibet indignis impendere promptus honorem.
 Tutius ipse sibi vilescit in omnibus, idem

E 3

Sordet

Sordet vbique sibi, doctus sibi fidere nunquam,
Aurem sollicitus præbere cuique monenti,
Tamque libens minimus, quam maximus alter haberi
Ambierit media sociorum fortè corona.

Huic malè si palpere, recalcitrat, horret ad omne
Virtutis lenocinium, placuisse laborans
Nulli futiliter, sanctis in rebus agendis
Propositoque pari non displicuisse pauescens.

Si quid at in fociis videt intolerabile, & illud
Acrius indignans iusto, non abiicit abs se,
Sed propriæ ut culpæ veniam deposcit ab alto
Æquior ipse alijs, sibi semper iniquior ipsi. (quam

Non hunc ambitio, nec opum sitis improba quid-
Tangit, inexhausti nec inania gaudia luxus,
Maiorùmue fames, quos mundus inhalat, honorum:
Qui non primatum, aut metam sibi finiat vllam,
Quàm, quò affectat iter, cursusque perurget, olympo.

EPISTOLA 2.

AD QVEMPIAM AMICUM
grauissimè afflictum.

Telicet incusso perfossum vulnere cernam,
Nolo manus medicas vesano adhibere dolori:
Horret enim ad tactum, medico tractante, cicatrix.

Respis æger opem, nec opem nos ferre paramus,
Consilij tecum pariter melioris egentes.
Nolo superuacuis onerare ambagibus aures
Accumulans monitus monitis, & dogmate sano:
Plena voluminibus tibi sunt & scrinia doctis,
Ex quibus antidotum fas sit proferre dolori:
Sunt cantata tibi puero, quæ tradere possim;
Sunt meditata viro, ac alienos prodita in vsu
Non sine successu, plausuque frequente theatri.

Quid moror? obuias: Imò curnam ipse moraris,
Inque luto mœrens hæres? cui denique passas

Tendis

Tendis vtrasque manus? prostratum vt colligat vllus
Infirma de gente hominum? de gente dolosa?
Quos inter stygius stabiliuit regna satelles,
Peltiferis gaudens aures farcire susurris?

Respice te, & munus quò te prouexit honoris
Florentem meritis inter virtute minores.
Si tibi cælestis solatia denegat aura
Ad modicos mensus, æquam seruare memento
Per dubios casus, & quæque per ardua mentem.

Tollere humo, inferri nequeas si tardior astris:
Exue præfidiis mortalibus, exue te spe
Auxilij humani, quæ rictum elusit hiantis.
Rumpe moras omnes; nudum pete nudus Iesum,
Stipite & appresso constringe tenacius vlnis.
Aspice vt infami distentus brachia trunco
Nec pede contingat terram, nec vertice cælum:
Illius exemplo, medius celi que, solique, (stum.
Pendens hinc atq; hinc, pendentem amplectere Chri-
Pectore tum appresso, subiunges oribus ora,
Auxilij externi nihil indigus, atque medelæ:
Vulnera vulneribus feliciter ipse fouebis.

EPISTOLA 3.

Ad Poëtas omnes Christianos.

Qur miserum Obrizus stridet? ciet anser olores?
Quur nullo ingenio conscripta poëmata, & arte
Plurima depromit, nîl sacre oracula chartæ
Illotis quidquam veritus contingere palmis?

Conscius exigui ingenij est, & nullius artis,
Conscius est noxæ, tenero quam traxit ab æuo
Ad senij prope iam limen, metamue supremam,
Si volet Omnipotens mihi fila abrumpere vitæ.

Flebilibus Threnis hinc deplorata iuuentæ
Est leuitas nobis, & prona in turpe cupido:
Subieci inde pios audax cantator amores:

Nec

Nec minus his temere superadde eidyllia: restant
 Plurima secretis prudentius abdita capsis,
 Ne Criticos toties vexet censura seueros.
 Quæ premo multa domi, fateor, quæ vulgo per orbem,
 Nec mihi, nec multis, viso vix sole, placebunt:
 Scribo tamen nec me scripsisse abolenda pigebit,
 In lucem si prolicio, & profcena, doctos,
 Carmen olorino recinant qui gutture, vates
 Instructi sacris opibus, prædiuite vena,
 Qui superùm regem purgato pectore cantent.
 Sat Veneri, Venerisque datum tot sæcula Nato,
 Lumine qui captus cæcat mortalia corda.
 Quis pudor est, celebrasse Deos, & furta Deorum,
 Hunc qui purpureo perfusus sanguine Christi
 Iusque, viamque hæres stellanti affectat olympo.

Francif. Aduenit illa dies, qua tu Monchæ, per orbem
Moncha? Mox Salomonæ primus modulamine musæ
fr. Bald- Dicêris Siculas calamis æquare camœnas.
mi ex foro Perge bonis auibus, finemque impone labori,
re nepos, Obrizi hortatu. te clarus auunculus ad se
Atreba- Laudibus ingenij & doctrinæ, seu magè Christus
tius, Cant. Coniugij arcani vatem, tædæque sacratæ
Salomonis Euocat, & palmæ ostentat victricis honores.
interpres. Quur, Rosa, cunctaris Gallo sermone secundum
Robertus Iungere te comitem? lingua nos scimus vtraque
Rosa Quid præstare queas scriptor parcissimus, acer
Atrebas. Iudicio, vigili & cura, mirabilis arte,
 Cui pudor egregias dotes insertus honestat.

Jo. Sylui? Te quibus exornem numeris, doctissime Sylui,
Atreb. In numeros omnes facilem? sed graia Minerua
 Maluit abreptum ad sese, fandi atque canendi
 Artificem eximium: nil lingua hebræa lepori
 Deterit Actæo, licet horrida, & aspra. Sodales
 Fædere coniuncti, veræ pietatis amore
 Incensi, linguis aliquid tibi de tribus orso,
 Vni assurgimus, abs te vno pendere sueti.
 Et quid adhuc limas, decimumque recudis in annum,

Pumice

Pumice, quæ seri diuturno tersa nepotes
 Mirentur? stupeat quæ tota corona Sophorum?

Quæ fortuna mihi tam longo tempore dotes
 Inuidit, lamote, tuas? quur patria tecum
 Communis, sic exigua celauit in vrbe
 Omnes conspicuo superantem vertice amicos?
 Vt cessent alii, immatura aut morte cadentes
 Nobilibus nequeant scriptis imponere finem;
 Tu virtute tua cunctorum munia obibis:
 Solus barbaricam contundes strenuus hydram:
 Tu noménq; tuum, patriamq; æquabis olympo.
 In manibus quid habes operis, quod tot premis annos,
 Cæsum quod pluteum, & demorsos arguat vngues?
 Si teneam quid sit, non vllò carmine prodam,
 Iamoti quod adhuc vult rara modestia tectum.

Vnum te petimus, nec deinde quiescere certum est,
 Dauidicas vt des Argiuis auribus odas.
 Siccine Pindaricum melos, helluo summe, voraris,
 Iessæ vt iaceat soboles ignota pelago,
 Decantata nouo Romana per oppida versu?
 Ingenij neruos illuc intendere par est,
 Cuius amicitiam, vt quisque est doctissimus, ambit,
 Cuius & eloquium doctè mirentur Athenæ.

Te fouet Astripotens, sacrum tibi subijcit ignem,
 Non heliconiades, non augur inanis Apollo.

Ingenii igniculos præparuo in corpore vidi,
 Vidi ego te puerum promittere, Carpentari,
 Maxima: promissis te stantem ætate virili
 Laudo, colo, veneror, conspergo flore pœtam.
 Quis strepitus inter, credat, turbasque forenses,
 Pangere victrici dignissima carmina lauro?
 Commissas fidibus quis præter Dauidis Odas
 Esaię numeros numeris cantare latinis?

Quantus in ore lepos? quæ diues copia fandi?
 Quas tu non salebras æquasti carmine terso?

Flander ad hos veteres te accedere lætor amicos,
 Hoi, pastorem scribis qui carmine Christum,

F

Pastorum

Federicus
Iamotius
Bethu-
naus.

Io. Car-
pentarius
Aduoca-
tus.

Andreas
Hoius
Brugen-
sis.

Pastorum columen, cælestia regna capeffens,
 Queis serie in longa, pascendum credit ouile,
 Dum postliminio mundi sub fata reuersus,
 Cornigeris imbellis pecus fecernat ab hœdis:
 Tam mihi gratus ades, quàm qui gratissimus: vt sunt,
 Carminibus Christum celebrarint quotquot amici.

Obsecro, si vos tangit amor, si cura sodalis,
 Nullius in vestrum monumentis vlla legatur
 Fabula, ne posthac doleam sacra mista profanis.
 Detrahere est vero, mendacia neclere veris.
 Sit procul à nobis fucus, cerussa que: verum
 Hoc est, quod teneræ species natiua puellæ,
 Quam cerussa nihil, nec fucus adulter inumbrat.

Quis furor est, Christo cõiungere monstra Deorum?
 Iuppiter altitonans, bona Iuno, casta Diana,
 Alma Ceres, Bacchusque pater, crinitus Apollo,
 Quidquid & his simile est, sunt nomina vana, nec horũ
 Aut quisquam fuit, aut stygiis iacet obrutus vmbriis
 Æterno memores pendens sub Iudice pœnas.
 Si nusquam extiterint; quur passim in vota vocantur?
 Haud certè absorptos vomet orcus lucis in auras.

Ah, ah: Tu qui spe, & profiteris nomine Christum,
 Pollicitus vatem, fumorum venditor exis?

Has in quisquiliis miserè delapsa poësis,
 Olim principio meliori est cœpra, Tonantem
 Dum canit, errantem aut lunam, solisue labores,
 Vnde hominũ genus, & pecudes, vnde ignis, & imbres,
 Qua vi stet tellus, qua vi maria altã tumescant:
 Hinc fat erat monitus, & idonea tradere vitæ
 Censori morum rigido, sceleris que nefandi.

Illi cura animos regere, aut incendere dictis,
 Dum stultos procerum, & populorum concitat æstus:
 Qui quid sit pulchrũ, quid turpe, quid vtile, quid non,
 Per ludum fat habet decurrere, si modo pascat
 Lectorem cantans audum: sed quis prober istud,
 Fingere mille Deos, vt milia milibus addas
 Liberior plastes, deliria vana cerebri?

At scio,

At scio, non vnus dicet defensor Homeri,
 Hauferat à prisca vatum fons viuus Homerus
 Esse Deum patrem, summo qui numine complet
 Terrasque, tractusque maris, cælumque profundum.

Laudo responsum. sed quur illudere vulgo
 Sic potius duxit doctus, sapiensque poëta?
 Quur lego cõcubitus, lacrimas, commenta, querelas,
 Dissidia, & rixas, & bella cruenta Deorum,
 Qui saturi ambrosia, qui dio neclere viuunt?
 Quo genitor, genitrixue mihi, seu fœmina, seu mas,
 Ridiculus fator ille hominum, fator ille Deorum?

Fœmina sit, si mas non est; si fœmina, non mas:
 Attamen Androgynum pronuntio, lite soluta,
 Eijcit armatam qui Pallada vertice fisso,
 Obstetrix sibi, & ipse puerpera, ni ferat illi
 Mulciber auxilium, infodiens ceruice securim.

Fœcundus genitor, non tantum vertice, cuius
 Indita perficitur femori Semeleia proles.
 Esto, omnes Sophiæ partes inclusit aptis
 Mæonides numeris, quod nec factum ipse negarim:
 Sed quotus hinc quisque excerpit, quantouè labore,
 Futilibus taceam vt gerris, cœnoque sepultas?

Longe illi melius, paulo prior, accinit Orpheus
 Voce Deum exerta, qui cuncta creata gubernat,
 Cuncta fouens, atque ipse ferens super omnia sese,
 Quem mens sola capit tantum, mens sola tuetur,
 Qui bona cuncta (mali haud quidquã) mortalibus affert:
 Nullus quem Deus ante Deum, nec post erit vilus.
 Lustra oculis quæcunque vides hic obuia, quò tu
 Rectius in terris numen dignoscere possis:
 Ipsius hic etenim cerno vestigia; fortem
 Cerno manum, qua cuncta tenet: sed cernere quis sit,
 Haud quaquam valeo, qui nubibus insidet altis.

Nulli, Chaldæum nisi quondam sanguine creto,
 Aspexisse datum est, quem cælorum aurea sedes
 Et sublimis habet, cuius se dextera tendit
 Oceani ad fines. Illum radicibus imis

F 2

Emoti

Emoti trepidant montes, nec pondere vasto
 Innixum sufferre valent, quì culmina cæli
 Alta colens, tamen is nunquam terrestribus absit.
 Principium, ac medium est, ac meta nouissima rerum.
 Hæc nos, hæc prisca cecinerunt omnia, binis
 Quæ didicere, Deo quondam monstrante, tabellis.
 Hactenus insonuit Romanis auribus Orpheus
 Dulciter ignito pertentans pectora motu.
 Quid, si natiua meditetur carmina lingua?
 Fallitur, elumbis quisquis dulcedine cantus
 Nomen apud prisca, tantæ & præconia famæ
 Acquisisse putet. vis hæc, vis ignea verbi
 Scilicet ætherei, tellus quo dædala constat
 Mole sua stabilis, cælique decemplicis orbes
 Infima præcipiti percurrunt cuncta rotatu.
 Interea magni Genitoris profluit ore
 Spiritus, & totum complexibus occupat orbem,
 Prostratòsque solo atollit, tenebrisque volutos
 Sæpe repentino collustrat lumine, nubem
 Disijciens atram pro tempore, luce corusca,
 Intus agens Deus, & vatum se pectore versans.

Quid, si Christiadæ prece pura, & pectore, sacros
 Flamini eliciant haustus? castone liquore
 Imbuti præstent hi deteriora vetustis?

Fallor? an in foribus lux est, qua cursus equorum
 Nulli cantetur, nec mœcha pudenda poetæ?
 Iam serie longa sæclorum cæcus Homerus,
 Auguror, aspiciet donatus lumine Christum.
 Præstantes animo, præstantes corpore athletas,
 Quorum virtuti cessit violenta tyrannis,
 Haud imitabilibus numeris ad sidera tollet
 Pindarus, aut in iis victorem mortis Iesum,
 Principis & stygij, ac carnis, modulamine Vates
 Grandiloquo, cæli repetentem culmina dicer,
 Solis & occidui, & spoliis orientis onustum.

Te Sincere, cano sincero pectore vatem,
 Verius Andino recinentem sæcula vate

Aurea,

Aurea, virgineos partus, prolémque sacratam.

Te colo, te veneror, tibi gratulor Ausonis ora,
 Quæ talem, tantumque Vidam fœcunda rulisti
 Æquantem propè Virgilium, discrimine quanto
 Mantua distat adhuc tectis vicina Cremonæ.
 Inter multa pater quæ condidit optima, miror
 Diuinos ex parte bona, atque exosculor hymnos.

Pice tuis scriptis clara est Mirandula, clara est
 Carmine, quod Christi & virtutis inhalet amorem.
 Immortale tibi, Paleari, funeris expers
 Mens cantata dabit longæua in sæcula nomen.
 Hoc verè Aonio iuuat me ludere monte,
 Hoc Aganippeò me tingere fonte labella:
 Non secus atque tuis, Zanchi, spectariet hortis.
 De facie non te noui, Toscanè, remotum
 Longius, extremis Gallorum vt finibus absum.
 Audio; viuis adhuc, scriptor victurus in æuum.
 Non rebus satis est, Aurato teste, profanis
 Nasones superasse tibi, superasse Catullos,
 Quemque virum salibus clarauit Bilbilis alta:
 Nè teipsum superans, aliis post terga relictis,
 Laudibus in Christi ornandis, sacrisque canendis,
 Ingenii culti dotes, & acumina promas.
 Quis memoret, quos nunc, doctrinæ mater honestæ
 Gallia, fœcundo magnos alit vberè vates?

Inter eos, Aurate, locum summa arce tueris,
 Principis auspicio fœlici euectus in altum,
 Vt duce te seruent mollissima iussa minores.
 Nam te dulcius esse nihil, iucundius & nil,
 Longius abstracto, nec vano auctore, relatum est.
 Oro per æternam, quæ surgit vertice, laurum,
 Perque hederas istas, quæ pertibi tempora serpunt;
 Per, quo barbariem fundisque, fugasque, triumphum;
 Namque manu palmam, victricia signa, reportas;
 Ede aliquid tandem, quo te testeris Iesu
 Sanguineo latice assertum; te culmine cæli
 Adscriptum ciuem. non te sub principe Gallo

F 3

*Hieronymus
 Uindas
 Cremonens.*

*Io. Picus
 Mirandulanus.
 Aonius
 Palearius*

*Basilius
 Zanchi.
 Jo. Mattheus
 Toscanus.*

*Io. Auratus
 Poeta
 Regium.*

*Abbas
 Sincerus.*

Æra

Ara merere fat est; magno te poscit olym po
 Cælicolûm rector, qui regia scepra gubernat.
 Sic te doctorem colat addictissimus ordo:
 Sic te turba poëtarum in præconia Christi
 Argolico, Latio, & Gallo sermone sequantur.
 Europam aspicio cultam pulchro vndique tractu,
 Seu qua Sol oritur, qua mergitur Oceano Sol,
 Qua medius feruet, seu verto lumina ad Arcton,
 Fœta est illa vis, Christi qui nomine gaudent,
 Ingentes numero, fœlices carmine, præcis (stus
 Aut nihil, aut minimum cedentes. Quur, rogo, Chri-
 Tam paucis canitur, quem gloria, laus, decus, vnum
 Cælorum super axe decet, terræque parenti?
 Hæcine pars orbis sit tertia, Seruatori
 In cultus seruata pios, ad tempora nostra,
 Diuiso in sectas, & pessima turpiter orbe,
 Vt simulacrorum præcones sancta poëtas
 Sustineat, Christi collutos sanguine tellus?
 Hoc si exercitii tolerandum dixerit ergo
 In pueris quisquam, vix ipse admifero: nam quur
 Ad se illos Christus gaudens ætate tenella
 Accierit, quibus addixit cælestia regna?
 Iam nunc ô tandem veteris torpore veterni
 Excusso, ad rutilam conuertite lumina lucem;
 Proruite ad Christi vario modulamine laudes,
 Figmentis veterum, gerris, nugis que relictis.
 Sumite materiem ter sancto ex codice veri,
 Christicolûm vena, ingeniis, & pectore dignam.
 Ipse ego vestra legens vestigia, lætus ouabo
 Subiiciens stimulos cessantibus, aut male pigris;
 Nî sterilis culpa ingenij, nî corporis huius
 Morbi carnifices nolint me exire poëtam;
 Aut si per tenues, affecto in corpore, vires,
 Et reliquum vitæ liceat, non fortè grauabor
 Quas aliqui auerrant, pueris succidere messes,
 Purius excusso ditandis farre, quod olim
 Vnius in Christi, precor, vt decus omne redundet,

Me

Me calce obruito passim meliora canentum.
 Dulce mihi viuo sic vinci, dulce sepulto.

EPISTOLA 4.

AD MANES ROBERTI FORTII
 ex sorore nepotis.

ME tardum pedibus, confectum & corpore toto,
 Chare nepos linquis? Mæcenatisque benigni
 Spem frustratus abis? luctus nil præter amarus,
 Singultusque facis reliquum, nisi numen olympi
 Respiciam, metuens conuicia dicere cælo?
 Este procul lacrimę vetulo minus ore decoræ,
 Este viro indigni gemitus, præcone sacрати
 Tempus ad hoc Euangelii, quem sacra vel ædes,
 Priuatęque domus, mulcentem tristia dictis
 Pectora sæpe vident, dantem & solatia mœstis.
 Nam neque tu (si nostra mouent terrestria cassum
 Lumine) nostra probes suspiria, ducta recenti
 Morte super, quæ terga premat fortasse relictis.
 Sors eadem (nec id ambigimus) nos certa manet mors,
 Sub lunæ quicumque globo vitalibus auris
 Vescimur. Ad manes fas tecum exire, locandos
 Qua cœtus nos parte volet qui præsidet astris.
 Ibimus eiusdem vitæ, mortisque sodales
 Euentu interitus dubio: nam cedit honesti
 Pars superûm melior, cedit cultoribus equi;
 Qualem restanti te præripuisse putamus,
 Sordibus ereptum sæcli melioribus annis,
 Ne qua pio mundi illinerent contagia labem.
 Scilicet id teneris cauisti semper ab annis,
 Rursus & extremę metuisti tempore vitæ.
 Namque tibi arcebant ægro deliria culpas
 Questibus haud vllis, haud vlllo rupta dolore.
 Est mihi, continuos & erit seruanda per annos
 Ante grauem morbum manibus perarata nepotis.

Littera,

Littera, plena metus sancti, cælestis & auræ,
 Sæcli exosa leues curas, vitæque laborem
 Sæpe superuacuum, & permulta negotia turbis
 Explicitis nunquam, nunquam nisi morte direntis:
 Littera, secessus, & claustra monastica votis
 Omnibus exposcens, nisi quid sententia tardet
 Nostra, vel exhausti morbis atrocibus artus,
 Quos studio fulcire pari, curisque peroptes,
 Munere diuiso communiter inter vtrumque.

O tua rara fides, reuerentia rara patroni,
 Quem gratus cupias hoc fasce leuare malorum;
 Quæ patitur natus morbis, natusque labori,
 Atrebatum, sacro licet infimus ordine, pastor.

Hoc mirabilior pietas, optare quietem
 A congressu hominum; tamen anterulisse quieti
 (Si Mæcenatem licet adiutare) labores.
 Audiit hæc, patulas cui nil præteruolat aures,
 Cui nox nulla oculos, nubesque offuscet opaca,
 Audiit, & toto probat hæc gauisus, olympo.
 Moxque voluntati promptæ cumulata rependit
 Præmia stelligero statuens, vt remur, olympo;
 Quem pia cœnobiis mens iam prope clauserat arctis.

Fallor? an orbatus te spe, inclinantis & æui
 Subsidio, pariter rutilantia ad astra vocabor?
 Idque breui, segnes cum iam minus utilis annos
 Demorer, atque animus satur huius carceris ægrè
 Proferat exiguas moribundo in corpore vires?

Pes alter vix signat humum, vix atterit alter
 Firmior, & ficcis uox faucibus hæret in æde
 Cantanti, aut aliàs semen vitale ferenti.
 Visus hebet, recreare negant ocularia visum,
 Ne, quo more aliis, misero solatia præstent.
 Articuli medio chartæ æquore sæpe resistunt;
 Dimidiue iacent exangues mensibus anni,
 Condiderim capsis quantumuis multa, seueros
 Quæ metuant pluteos, chartæ mandanda fideli.
 In summa, resto grauis omnibus, atque mihi ipsi

Sæpius

Sæpius; haud iam more meo iucundus amicis.
 Nam quid ab ingratis patiar, subtexere longum est,
 Quod nos & piguit, tibi viuo infundere in aures.
 Si me respiciam (nam lumina sæpe reflecto
 Ad me me rediens) non infortunia visus
 Deprecor, impulsus permulta dolenda tueri
 In patria, externis audire & plurima ab oris:
 Non infirma queror stupidæ vestigia plantæ
 Suspirans Superos, cælumque subire paratus.
 Tu, si quid fortasse potes cæli arce receptus
 Sub pedibus calcans nubes, & terrea quæque,
 Vt mala persensit contagia grandior ætas,
 Quæ præmatura fugisti morte; patrono
 Iusta Dei faxis sit mitior ira migranti.

EPISTOLA 5.

AD PETRUM BALLIIVM

Calend. Ianuarij.

MEne adeo stupidum, cui nec vicinia vatem
 Nosse dedit scitè dignissima carmina cedro
 Pangentem? queis si præscribas clara Maronis
 Nomina, perfacile nasuto imponere cuiuis,
 Mendaci haud nimium titulo, me Iudice, pondus
 Si rerum, & grauitas spectetur, & aurea vena,
 Excusso sub iudicio, & prædiuite fluxu.

Hæc, inquam, celata prius, nunc prodita primum
 (Tristia ceu radius perrumpat nubila Phœbi)
 Me mihi surripiunt, imoque incendia miscent
 Pectore, dum tantus mihi concilietur amicus,
 Qui mea mordaci distingat opuscula lima,
 Veriloquus censor, fugiens obrudere palpum
 Vlli terrigenæ, ne dum mihi, qui nec amici
 Vllum eblandiri permulcens molle fauorem
 Sustineam, assertor veri, atque excultor amici.

Hic tibi, Petre, inecat, nec dispar exeat annus;

G

Fœlix

Fœlix auspiciis : quem spondeo, si mihi præstes
 Talibus officiis, verè ac constanter amicum.
 Amplius his sine te, fateor, me nemo bearit.

EPISTOLA 6.

AD FRANCISCVM MOSCHVM OFFI.
 & Canonicum Atrebatensem.

IMprobus vsque adeo, grauis, importunus, & audax,
 Non te interpellem versu leuiore poeta
 Nî iubeas, mandesue : tuis en pareo iussis.

Scire cupis, quid agam? iam dudum totus in hoc sum:
 Excutio putres carioso tempore chartas,
 Quas tua compactis aliquot censura libellis
 Castiget, minus vt metuant dicteria, sannas,
 Momorum ronchos, si forte in luminis auras
 Solliciti emergant deersæ pumice Moschi:
 Si quando miseris dicundo à iure vacarit
 Pupillis, viduisue, premit quos tutor adunco
 Vngue rapax, nunquam faciens satis ingluuiei
 Indomitæ, nî mors præfocet guttur auaro.

Quinetiam incertas generosi muneris horas
 Diuidis, & sacris sua subiicis otia rebus,
 Hortator trepidos gnarus fulcire salubri
 Consilio, mulcens dulci solamine mœstos,
 Expoliisse rudes vix vlllo tempore fessus,
 Nulli non placidus, iucundus amicus amicis.
 His gradibus video, & lætor te ad maxima ferri
 Expertem inuidiæ (ceu sentio) qui tuus hic est
 Tempus ad hoc genius virtutis : cetera numen
 Dispenset; forti neque tu tibi tempore desis,
 Si tua præcipites per mille incommoda vitæ
 Per mare veliuolum diuexent carbasa Cauri.

Conqueror ingenio insignem, fandiq; magistrum
 Clamoris te litigiis, rixaque forensi
 Hacenus implicitum, populis nec prodere, quantus
 Assurgas

Assurgas vi flexanima : non promere largas
 Doctrinæ pregnantis opes, ceu buccæ panis
 Ludi ficit porrecta famem : ceu guttula lymphæ
 Lentè affusa sitim labris iritet hiulcis.

Te talem, tantumque nouis cupit argumentis
 Per fora, perque vias, iubet inclarescere vulgus.
 Nec mihi collectus bibula rumusculus aure
 Suggestit hæc, nugas iactare suëtus inanes:
 Audio, cui non te doctorum præferat ordo
 Assiduè: inque sinu gaudens non falsus amicus
 Gestio, præcipiens animo gliscentis honores
 Vterius famæ, Moschi quò surgat in altum
 Fortior, & latè exornet profcena virtus.

Ergo animos, acre ingenium, Sophiamq; perennem
 Abstruso deprome penu, fandi que lepores,
 Haud modico posthac farris contentus aceruo,
 Quem locuples supero messor super axe reponas.
 Os, humeros, habitumque viri, frontisque pudorem
 Ingenuum profer populis grauitate verenda,
 Compositæ eloquio respondens ordine vitæ,
 Vt desiderium paullo nos mitius angat
 Triste Richardotî, neque tot iam tempore longo
 Fama grauet sacri præcones posthuma verbi.
 Nullius hæc fuerit, vel prima est gloria Moschi:

Francis.
 Richardo
 us Epif.
 Atreb.
 facundis-
 simus.

FINIS EPISTOLARVM.

IN COEMETERIVM
D. Obrizij.

Canonicus factus, propè Cœmeterion edes
Sortitus est Obrizius percommode.
Delubro assidue calum per vota petebat,
Domum reuersus admonebatur via.
Nam tumulos cernens, hæc intellexit eundum,
Mortalitatis immemor nunquam sua.
Antè viam meditatus erat melioribus annis,
Nunquam profanis deditus negotiis:
At ratione loci, seræq; ætatis, adauclta
Cura est, amorque visitanda Patriæ.
Testes hi Tumuli, quos Cœmeterion aptè
Inscripsit, in quo Christiani dormiunt.
Nostra fides, & spes, mortem interitumque piorum
Ignorat: Vnus omnibus quem sustulit
Occiditq; resurgendo. Non mortuus ipse est
Obrizius; placide excitandus dormyt.
Vicinum qui habuit sibi Cœmeterion, estq;
Occasione hac Auctor vsus optimè,
Non modò vicinum dat Cœmeterion esse
Nobis, habere sed domi in penetralibus:
Donauitq; adeo præstantius: Aggere muto
Ipse vsus, hos dedit loquaces aggeres.

A. Meieri.

COEMETERIVM
ROBERTI OBRIZII,
HERMOPAGITÆ ATREBATII,
APVD MAGDALENITAS
Populares suos Pastoris.

AD FRANCISCUM MOSCHUM,
Officialem Atrebatensem & Canonicum, collegam
suum, & amicum singularem.



Videm multiplices tumulos, ferale poema,
Postremum moueo quod propè fractus
opus?
Dem tibi, qui veteres succreueris inter
amicos?

O mihi postremo non numerande loco.
Accipe, quod raptum, quod lectum, Mosche, probasti:
Postremi & partus censor, & esto pater.
Si non Obrizii sint ista nouissima verba,
Hæc, puto, sunt Musa dicta suprema mex.
Quæ si posteritas dignetur honore legendi,
Mosche, perenne mei pignus amoris habe.
Sin minus, & cineres auctoris scripta sequantur,
Defende à blattis viuis, & à tineis.

In Cœmeterium suum, domui suæ contiguum.

Hic strepitu, & cura semotus ab vrbis, in vrbe,
Quæ domus ad pluuios vergit aprica notos,
Planitiem haud modicam, proscissa ligonibus arua
Intueor; tumulos dico, tor & specula:
Tot monumenta breuis vitæ, mortisque propinqua,
Hæc reputans animo nocte dique meo.

Nil sub sole nouum, nil sub durable luna.
 Cantio terricolis trita, Necessè mori.
 Respice confertos, numerosa examina, ciues;
 Hic teget infossos post breue tempus ager.
 Ad sua iura vocat nam Mors tellure creatos,
 Quot sunt, quotquot erunt, quotque fuere prius.
 Milibus in tantis communi morte cadentum,
 Semianimus, firmo vix pede radis humum.
 Annosus, vietus, morbis obtritus, & annis,
 Nestoreos credas vincere posse dies?
 Gymnasium à dextra puerile his ædibus hæret,
 Opportuna viro dans documenta seni.
 Nam per id enata est occasio commoda: cœpi
 Hunc vecordem animum talibus excutere:
 Hi rectè pueri condiscunt viuere: Tène
 Tam vixisse diu, nec didicisse mori?
 Totus in his, vidi propè, seu vidisse putauì,
 Astitit ante oculos Mortis imago meos.
 Monstrum informe, vorax, & formidabile aduncis
 Vnguibus, oppansis rictibus horribile.
 Passibus ambiguus errat: discrimine nullo
 Vim facit & Regum turribus, atque casis.
 Innumeri comites, labor improbus, anxia cura,
 Assultans tremulo curua senecta gradu.
 Quo se cunque ferat, præcurrit febris anhela,
 Solaque letiferis apta ministeriis.
 Mille ruunt celebres, totidem sine nomine morbi.
 Serpit edax cancer, reptat aquosus hydrops.
 Plurima nox capiti impendet, nocturnus & horror,
 Et sopor, extremi iudicii que metus.
 Extimui subitò, obrigui, vox faucibus hæsit:
 Tam sine mente miser, quam sine voce fui.
 Quæ scelerum effigies vastum per inane coortæ,
 Oppressere animum quæ mala spectra meum?
 Infenti facies cæli, caligo profunda,
 Vltrices pœnæ subtrus, & orcus hians.
 Tunc ego, quis fuerim, quid non, Deus alme, futurus,
 Ni rua

Ni tua me pietas mox miserata foret?
 Crux Nato conscensa tuo mihi candida fulsit,
 Perfugium mentis scilicet vna meæ.
 Tartareis lemorum turbis cælestia signa,
 Signa salutiferæ tendo verenda Crucis.
 Accedo, recreor, fero bis mille oscula trunco,
 Complexuque iuuat sæpe fouere Crucem.
 Stat circumiectis oppressum astringier vlnis,
 Imperium mortis ferre, Dei que minas.
 De Cruce pendentem genitor si spectat Iesum,
 Si Cruce confiso spes iubet esse ratas;
 In me, in me irarum Iudex effundat habenas:
 Sic pater in prolem sæuiit ipse suam.
 Terga mihi, & pectus perarate, erumpite vermes,
 Et vitii, & sceleris carpite materiem.
 Luce sub extrema, dederit cum buccina signum,
 Me noua per Christum me manet effigies.
 Quid renuam cunctis communi occumbere leto?
 Victoremque Deum mortis in astra sequi?

Quales Lectores ad Cœmeterium suum aduocet.

DELICIIS vitæ immersos, scelerumque profundo,
 Summouet hic titulus tristis. Adeste pij.
 Languidus è morbis hæc cœmeteria mecum
 Cantet, & attenta mente sepulcra legat.

Homini longioris aui cupido.

VIta nimis pellax, dulcisque vsura diei
 Cogitat extremum semper abesse diem.
 Annorum vis chiliadas vixisse? Malorum
 Innumerabilius perfer & Iliadas.
 Quo te cumque feras, non is totusque, redisque:
 Namque aliquid de te quælibet hora rapit.
 Currimus è vita in morbum, morbum excipiet Mors,
 E morte ad tumulos, è tumulo ad superos.
 Ni matura graues noxas metanœa piarit;

Iudicis

Iudicis infensi iura seuera time.

Si mortem metuis, sapientem ducito vitam:

Nam mala mors non est, quam bona vita preit.

Fata latent, nulloque manent discrimine cunctos:

Vt suspecta tibi nox sit, & orta dies.

Si sapis, ad mortem properes accinctus in horas.

Vita tua ad mortem cursus, & ipsa via est.

Eidem.

MAnè, & serò petit te mors, cuiuslibet hinc sis
Ætatis, generis, conditionis, homo.

Hæc sine te quærit pedibus, sine dente laceffit,

Et sine, te, lingua, te sine voce vocat.

Mortiferas voces Phœbi celer instrepat axis,

Quæque tibi lunæ cuncta sub orbe cadunt.

Tun' fugis, an restas? loquerisque subinde vocatus?

Dum fugis, accedis; dum loqueris, moreris.

Eidem.

CVrrimus ad mortem, metâ properamus ad vnam:

Serius, ocus hoc conficietur iter.

Huc vbi peruentum est, nec gressum sistere cuiquam

Momento liceat, nec reuocare gradum.

Anne velis iterum fluctus fulcare marinos,

Si placidus supera portus in arce patet?

Eidem.

ATria, & infano substructa palatia luxu,

Pyramidum moles, obruta morte ruunt.

Quæsieris frustra deletas funditus vrbes:

Tuque tuum speres ferre perenne caput?

Eidem.

GRande mori quod dat munus Natura, Deusue,

Grata sume manu, si mihi credis, homo.

Cur fugias? Pro te morientem amplectere Christum:

Dona Redemptori mutua redde Deo.

Eidem.

Eidem.

CVra, metus, morbus, bis mille incommoda vitæ,
Mille pericla fallo, mille pericla solo.

Mors tibi laudetur, bis mille incommoda vitæ

Si tibi finierit, finieritque breui.

Eidem.

TOt curas, morbosque, metus, discrimina vitæ
Vt fugias; morte hæc an leuiora putas?

Vt fugias, præsto est sentina senecta malorum:

Tum moriare; diu vel miser esto semel.

Eidem.

MOrs tua, mors Christi, nec non sententiâ iusti
Iudicis, hæc tua sunt præmeditanda tibi.

Si beat is cælo, quid te scælicius? atra

Si styge te damnet, quid miserabilius?

Eidem pro opusculi huius perioche.

INculcata velim scriptor duo carmine, quorum,
Summus erit, neutrum perdidicisse, pudor.

Christiades mortem læto obuius ore capeffat,

Qui didicit Christo viuere, qui que mori.

Ad quemque Christianum.

LArua rudem puerum formidine terret inani,
Cognita quæ propius nil nisi risus erit.

Hæc eadem ratio mortis; quam temnere possit

Quisque, triumphatam qui sciat esse Deo.

Te licet horrifico Mors opperiatu hiatu,

Ne dubita, Christo præmoriente, mori.

I, bonè, per vacuas (Mors est edentula) fauces,

Dentatam seriem Christus vtrimque ruit.

Ad Mortales.

PRogressum, focii, vitæ fugientis, & ortum
Carmine comprehensum scire necesse breui,

Pregnantis miserè exfæcti genitricis ab aluo

Viuimus, augemur, deficimur, morimur.

H

Elec-

Eleemosyna.

MItum est, pauperibus cur largiar omnia? Malo,
Ne male me perdant, perdere diuitias.

Coram Crucifixo.

VT vidi, obstupui luxatum immaniter artus
De genitrice hominem, de genitore Deum.
Luxi tanta pati velut è mortalibus vnum;
Ire Deum in pœnas horrui, & exitium.
Cui licuisse querar de te? cui talia & in te?
Iniectasse Deo sacrilegâsque manus?
Sons ego, qui infonti, pro meque perire volenti
Vimque homini peccans infero, vimque Deo.
Quis credat? Pater astripotens tibi corpus & aptar,
Inque Crucem mundi crimina ferre iubet.
Sponte tua, assensus Patri, cadis hostia ad aras,
In patris obsequium, suppliciumque mei.
Iure igitur Iudex (cui nunc reus) vnicus orbi
Præficeris summo de Genitore Deus.
Quæ porrò mihi Mors fat sit post funera tanta,
Qui fugio, temno, sponte lacefso Deum?
Si scelerum sordes exofus, in æthere Iudex
Nobiscum summo iure seuerus agas:
Vltiores cœlos si fortior, & tremo terras,
Quò nisi per te, in te sit mihi perfugium?
Totus vbique extas: nimirum, te sine, nullus
Extra orbem, sine te nullus in orbe locus.
Vndique contusum te ostendis, & vndique foffum,
Nos in te clausos, credo, latere volens.
Corde tuo liceat, quæso, Christe optime, condi,
Vulneribus manuum, vulneribusque pedum.
Qui te maximè amant, latus, & præcordia, vulnus
Introrsum, Aufonidæ quod dedit hasta, petant.

In Vestibulo sine limine Cœmeterij.

Dives, inops, Iuuenis, Vetulus grauis, obfitus annis,
Fœmina, virque, pari sorte iacent tumuli.
Corpora

Corpora, quæ argilla plastes effinxit in vda,
Mirum est, si proprio viscere condit humus?

*PRIMVS SANE LOCVS DEBETVR IVRE
meritissimo sepulturae Christi, cui moriuntur fideles
omnes, per ipsum reuicturi.*

VT vigilet, dormit somnum qui nescit I E S V S:
Vt surgat, qui non occidit, huc cecidit.

Christo Iesu seipsum à morte excitanti.

SVirge, Deus, spes, & requies tu lumine cassis;
Surge, triumphata morte; resurget homo.

Sepulcrum D. Virginis Deiparae.

Quis tumulus? Marię. Cineres habet vrna sepultæ?
Non; leuis hinc corpus misit ad astra sopor.
Cur mors tam placida est? Tacito quòd pectore fixa
Tantum non nati mortua morte sui est.
Mens indiuiduo nexu cum corpore, Nato
Perfruitur, Nati perfruiturque Patre.

D. Ioanni Euangelista.

Concedens fatis, viuis subit ipse sepulcrum:
Fit Vespillo, Ephesi ciue gemente, sibi.
Non tulit hanc sortem, cælo qui aspectat, amici
Christus, at incinctum fulgure ad astra vehit.
Quæris Ioannem si totum, suspice. Christum
Namque suum cæli vertice totus amat.

Sepulcra Apostolorum.

Vis & Apostolicæ nunc cœmeteria turbæ?
Non satis his tumulis maximus orbis erit.
Terrarum Dominos condit sub viscere terra:
Seruat in extremum corpora tecta diem.

Sepulcra Martyrum.

A Vrea clamorosi vox sanguinis astra feriret,
Ni patiens ultor comprimat ora Deus.
Nec ferret querulum tellus saturata cruorem,
Ni propè flammatum speret adesse diem.

Pontificum.

Sæpius hi lacrimis terram, quàm sanguine tingunt
Testati exosum voce, animi sique icelus.
Quæ fluidas terræ docuit gens spernere curas,
Id quoque nunc positus perdocet exuuijs.

Anachoretarum.

Qui sibi maluerint spelæa habitata ferarum,
Quàm sese immundis polluere alloquijs;
In terræ gremio fuit his optabile condi,
Dum veniat, Mundi qui ferat omne nefas.

Virginum.

Quæ niue candidior, quæ lacte, & turba ligustris;
Agniculo summi turba adamata Patris,
Hæret fida comes lateri, perdocta suâues,
Quos nullus vetito concrepet ore, modos.
O, quod tum melos accedet? quæ gratia cantus?
Quum socianda animæ corpora reddet humus?

Viduarum.

Natio quæ semel est tactus perpeffa viriles,
Hos, cane post odit peius, & angue, toros.
Et nunc quos gemitus, quæ non suspiria ducit?
Penset vt excussæ iura pudicitæ?
Stat dare, stat seruate fidem, non tempore, non vi
Frangendam, alterius nec vicibus thalami.
Improba nil cultu, gestu nihil illice peccat
Zelotypo metuens displicuisse viro.
Et tandem deponit humi frigentia membra,
Coniugis amplexu viuificanda Dei.

Infans

*Infans ut primum natus elatus ad tumulum
hac loquitur.*

Exvteri latebris in lucem egressus amœnam
Nunc eo diuersas in loculi tenebras.

Agnes puerpera emortua.

Hic Agnes iacui, primo sub flore iuuentæ;
Dum pario, perii: dum pereo, peperii.

Formosa.

Purpura quò vultus nitidi? quò vernus abijt flos?
Vnica sub terris forma, pudenda homini.

Nonna Nupta.

Sperne vnguenta, rosas, Hymenæi gaudia, & aurum;
E mensa, & thalamo deferor ad tumulum.

Iuuenis.

Quis, qui me videat iuuenem succumbere fati,
Vincere vim mortis speret, & imperium?

Dives epulo.

Iuge epulum struxi, aggressi multitia, vitam
Sum mihi pollicitus. Mors ait; En morere.

Languidus.

Gu ttura præfocet mihi mors, sternatque sepulcro:
Nunc minimum vermes, quod populentur, habent.

Senex.

Non, tibi Nestoreos si vel Deus expleat annos,
Viuere detrectes, vel moriare libens.

Grammaticus.

Dicite, Grammatici, Cur Mors monosyllaba? an ictu
Vno omnes, an quòd Mors fera quemque rapit?

Rhetor.

Illine fucandis tectoria splendida dictis,
Ne metuas falli, Mors tibi nuda venit.

H 3

Diale-

Dialecticus.

Vera doces, arcto substringis & omnia nodo.
Viuis homo factus: stringe, necesse mori.

Physicus.

Aut nihil, aut gleba es puluis concretus in vda;
Puluis & in nihilum, nil nisi puluis, abis.

Astrologus.

Hic iacet astrigerum toties rimatus olympum:
Vir tegitur, capiens sidera, captus humo.

Arithmeticus.

Nil prosum memoras protendens millia ab vno,
Ni numeres vitæ fila secunda tuæ.

Geometra.

Exiguo terræ cohibetur cespite mentor:
Ars est, mensuram, prima, tenere sui.

Philosophus.

Hoc vnum potui longæuus discere, summa est
Hęc doctrina: Nihil sum que, scio que nihil.

Multiscius in Idem.

Quò doctrina mihi? quò tanta peritia rerum?
Vna mihi solida est gloria, scisse Deum.

Sacer concionator.

Si sapias, aurito facies pia verba popello,
Viuere disce; pia est concio, Disce mori.

Sacerdos.

Angustum sum mensus iter populóque, mihi que;
Me populum que meum Christus ad astra vocat.

Monachus aspectans faciem Cœmeterij.

Moribus, & cultu qui præfers vltima, campus
Præstat. næqualis mortua cuncta tibi.

Caus-

Causidicus.

Vt noris homini mortem, post funera & æquam,
Cipporum hæc series æqua feretur humo.

Alchimista.

Folles, & loculos, carbones perdit, & aurum:
Omnia cum secum perdidit, emoritur.

Miles.

Que tua thoracem cuspis terebrauit ahenum,
Turpiter, en, Mortis falce retusa iacer.

Nauta.

Effugi varias per mille pericula mortes,
Vnica mors stabili me tumulauit humo.

Nobilis.

Quid proavos iactem, & priscis grauida atria ceris?
Omniparens tellus me mea mater habet.

Rex.

Hic situs est, quem ferre oculis quisque antè solebat:
At nihil addideris amplius, Hic situs est.

Tyrannus.

Pernicies populi, timor acer totius vrbis,
Vermiculo putri ludus, & esca, perit.

Lurco.

Lurco, age, carpe, vora, dapibus te halantibus exple:
Hic, tua qui rodât viscera, vermis erit.

Auarus.

Æs magno partum, maiore labore repostum
Nil tulit & fructus, & nihil vsque feret.

Voluptuosus.

Terræ pondus iners, Epicuri de grege porcum
Me vixisse pudet, si pudor est cineri.

Hyp-

Hypocrita.

Quir duxi vultus simulator tristitiæ?
Heu, heu, tristities congeminata mihi est.

Atheos.

Dilacerant animam furæ, vermésque cadaver:
In Styge tam multa frendeo posse Deum.

Pius.

Viue Deo, memor & leti, vitæque perennis,
Innocui quæ te parta cruore manet.

*Anianus morio celebr in ade Gaugeriana, apud
meos Atrebatos.*

Æde sacra, & sacris gaudes, non noxius vlli:
Æternum viuis, Morio, qui moreris.

*IOANNIS BENEDICTI, QUONDAM
Ecclesia Atrebatensis Canonici simul & Thesaurarij piissimi
viri, & constantissimi, tunc temporis scilicet, quum Germa-
ni milites receptum à Gallis Atrebatum, Archiduci Au-
striaco restituere, sub quibus hic noster per pedore diuturni car-
ceris confectus obiit in cauca quadam fori maioris, qua prætere
insignia Mallorum, sepultus honorificè in Ecclesia prædicta.*

Q Vi consanguineus, qui maior auunculus exis,
Qui tua condecoras sæcla, nouumque genus,
Non mihi visus obis, at non indictus abibis,
Quamuis fama loquax sat tua facta canat.
Tempus erat, celebri miles quo Noricus astu
Atrebatum ducibus reddidit Austriacis.
Diuitiis inhiat pubes Germanica victrix,
Iniicit & rapidas in pia templa manus.
Obstas ædituus vigil, eludis que rapinam,
Nomine quo, caueæ claustra dolenda subis.
Vndenos tristis squalis in carcere menses,
Nec fers iudicii prodere sacra tuis.
Quid dicam ulterius? pietas, patientia, vitæ

Con-

Contemptus, fortis mors, & honesta, tua est.
Excipiunt istam pietatem vincula, vinculis
Mors locia est, morti vita beata comes.

Ad Patris Manes.

TE mihi, meque tibi non dar moderator olympi
Cernere; te pestis iustulit ad Superos.
Peste vel inuita, media inter fulmina belli
Posthumus enascor, viua patris species.
Sic oculos, sic os genitor meus ante ferebas:
Ut dicunt: in me forma renata tua est.
Gaudia surrepto cumulat tibi Christus ad astra:
Mi cumulat lacrymas, Iliadè inque mali.

Ad Manes itidem Matris.

CHara parens, tandem viduata priore marito,
Altera inis pacti fœdera coniugij.
Filiolum tollis, solamen mite senectæ;
Namque aliò patriis auocor à laribus.
Bella ad egestatem, bellis que nocentior ipis
Te redigit multis pax lacerata modis.
Indolui miser aspiciens te dura ferentem,
Fœmineum in duris suspiciens animum.
Te vetulam, præter fortis ludibria, morbus
Noctes atque dies articularis habet,
Tollit & è medio, quindena ad lustra fatigans:
Occidis extremum fortis ad usque diem.
Quod tenuis census tibi dat fortuna, sororis
Candidius visum est cedere coniugio,
Diuisa ex æquo est arthritis, ne tua non sit
Filia, ne non sim filius ipse tuus.

*AD NICOLAVM DIONYSIVM
Anunculum, & Mæcenatem.*

Quod viuo studiis, fateor, quod Musica tracto,
Candide Mæcenas, muneris omne tui est.
Auspice te ni ture vocer quadrimus in urbem,

I

Nulla

Nulla forent puero nota elementa mihi.
 Carmina quę chartę committit, semina sulcis
 Crederet inuersis rustica nempe manus.
 Qui dape cęlesti populos, & nęctare pauis,
 Ductarem vetulo poplite fractus oues.
 Ast aliter visum Ręctori totius orbis,
 Qui me alio vitę tramite ductor agit.
 Si, quid agam, nescis, luctor conscendere cęlos,
 Et placida tecum posse quiete frui.

Adamo Bellacurtio præceptoris.

DVeo nefas, tacuisse virum, qui dat mihi primus
 Arentem Aonio fonte leuare sitim.
 Ille sacras puero monstrat, velut indice, lymphas,
 Parisiosque aibus mandat abire bonis.
 Qui mihi doctor obit, nulli non notus Adamus,
 Doctrina, ingenio, corpore magnus erat.
 Iam minor est nobis, collapso corpore, factus,
 Parte sui maior sed meliore viger.
 Viuida mens, corpus validum, facundia lingue,
 Conditus rerum cognitione lepos,
 Hęc inerant magno, raptum quem flemus, Adamo,
 Quodque fit immodica laude subinde minus.
 Artis Apollinę memoranda peritia fecit,
 Vir bonus vt facili quemque leuaret ope.
 Totus in hoc fuerat, quum febris anhela madentem
 Corripit, inuidiã mortis, & imperio.
 Dum Mors cauta parum magnos depascitur artus,
 Mole graui liber spiritus astra petit.

*MAGDALENÆ GOVIANÆ SORORI
 optima Epitaphion.*

QVę mihi præriperis, viuax, & iunior æuo,
 Casta soror, mortis me meminisse iubes
 Defectum, inualido lapsanrem corpore, inertem,
 Mœrentem tardos in mea fata dies.

Idem

Idem morbus habet, morbus te sustulit idem,
 Cur tumulus, cur mors non habet vna duos?
 Mors erat in votis, erat vnum velle duobus,
 In tua sed te vult fata præire Deus.
 Resto miser, tua ponę lego vestigia, fratri
 Ætherea sedem dispice in arce, Soror.

*PHILIPPO LUSSIO DISCIPULO
 quondam meo, atque vnã, eiusdem germano.*

Siccine terapuit mors inuida, mors cita Lussi,
 Dum quereris fratri te superesse tuo?
 Vt fuit vnanimi conuictu vita suavis,
 Sic mors germano dulcis vtrique fuit.
 Præuritidi rapta est fratri sua messis in herba;
 At vidit messes area lata suas.
 Rara minus per vos fuerat concordia fratrum:
 Nunc eadem vestro funere rara manet.
 Viuite cęlestes, mansuro fœdere iuncti,
 Corpora communi dum sociantur humo.

*ROBERTO FORTIO EX SORORE
 vnica nepoti, morte immatura sublato.*

CHare nepos, dic vtilius quid vtrique futurum,
 Me superesse tibi? te superesse mihi?
 Constiterat iuueni iustis tibi vita quaternis,
 Appeterent vitę quum triplicata meę.
 Me miseratus eras ardere dolore podagrę:
 Non minus ardentem te miseratus ego.
 Dixi ego, Quam multis miser hic cruciabitur annis,
 Ferre mihi inualido non potis auxilium?
 Audit Omnipotens: maturat fata Nepotis
 Naufragiis vitę iactat & vsque senem.
 Scilicet vt cęlo sedeat, tolerare dolores
 Cogar, & ætatis tanta videre malã.

IN GRATIAM AC NOMINE DOMINI

*Ioannis Saraceni Uedaft. Abbatis, ad Manes utriusq;
parentis, Antonij scz Saraceni, & Maria
Pifana.*

CHare pater, chara cum coniuge matre pudica,
Vos saluere simul natus vtrumque iubet.
Tamque orat cupidè Christo sociarier ambos,
Quam scitis natum vos genuisse Deo.
Natus & hoc meminit, precibusque adiutat vtrumq;
Gratus & in tabula dat pia vota legi.
Viuite concordés sancito foedere Christi,
Et soboli vestræ conciliate Deum.
Qui vos prosequimur votis, & carmine, forsan
Haud procul abiuncto funere vos sequimur.

EIDEM ANTONIO SARACENO

Auctor simul & Antonio Bucherio, amicis optimis.

Tene ego præteream non dictum scriptor amicum
Carmine, sincerè cultor amicitie?
Non tam pectoribus leuiter mihi fixus inheres,
Vt me non memorem iure querare tui.
Antoni mihi viuit amor, mage crescit in horas,
Quo minus intueor nunc probitate parem,
Nominis eiusdem sibi me deuinxit & alter
Iunctus amore tibi, iunctus amore mihi.
Bucherium dico, qui non tibi fictus amicus
Dum tibi conciliat me, sibi amicum habuit.
Proh dolor! at quæ fors vos tales eripit ambos
Dira, Saracenum, Bucheriumque mihi?
Te miles pia visentem delubra trucidat,
Bucherium in silua confodit ense latro.
Me quoque non dispar vestræ fortuna petiuit
Bis; Deus impendens vertit at exitium,
Vt viuam in lacrymas, in luctus, inque labores
Quod superest vitæ, funus adusque meæ.

Duro

Duro tamen, sperans cælestium gaudia apisci,
Quæ precor & vobis, polliceorque mihi.

ANNÆ SARACENÆ VIRGINI

*Atrebatensi admodum annose, religiosissima tamen
iuxta, ac modestissima, meæ quondam
Paroeciana.*

ANna puellarum castissima tempore longo,
Qua pia nulla magis, nulla modesta magis,
Cur nihil extremo in morbo sub fata mouetur
Proxima? Iamdudum cœperat illa mori.

Eidem.

EXæquasse aliis numquam se visa puella,
Visa alios semper præposuisse sibi,
A teneris mutans mores nec adultior annis,
Vrgens id studij, proxima iam capulo,
Hic cubat. Annosam quæris cur dico puellam?
Extremum virtus quod viret in senium.

Eidem Saracena.

Sancta fides, & spes, patientia læta, pudorque,
Candor, inextinctus religionis amor,
Hæ fuerint dotes, quas nos perspeximus, Annæ.
Quas vno ore omnes, foemina, virque canant.
In lacrymas solui, non vno nomine, possis,
Vrbs Atrebas: quod habes, perdis in vrbe, boni:
Seu potius, ne sint tibi pessima tempora fraudi,
Præmissas cælo sedula condis opes.

MARIÆ ROLIANÆ MEÆ

quondam paroeciana.

Luctanti bene cum morbis, pro munere nostro,
Et nos adfuimus, quum morerere, tibi.
Ferre Crucem Christi non me monitore recusas
Non minor hortatu, consiliisque meis:
Et moriens das Christo animam: caput ipsa memor sis

I 3

Te

Te cupidè in nostras deposuisse manus.
Stare decet nos conuentis: Hæc formula pacti est,
Sim memor vsque tui, sis memor vsque mei.

Maria Bellefortia mulieri religiosissima.

ET quis ab ætherea mihi nuntiet Angelus aula,
Cælitibus mistam te meminisse mei?
Atque preces pro me mortali fundere, viuis
Quas ex te Cæsar Carolus expetiit?
O mulier nostræ sanctissima totius vrbis,
Nunquam non superi feruida amore Patris!
Vidimus haud humiles agitantem pectore curas:
Summa tui studii est, posse placere Deo.
Audiimus depromentem cælestia sensa
Multiplicis fructu (nec pudet) alloquij,
Omnia formineo fastu sine: nunc etiamnum
Huic herent memori flammea dicta animo.
Si super hac tellure meum miserata dolorem,
Defessum placido molliter ore foues,
Nunc quoque, more tuo, pro me, non segniter ora,
In quacunque poli sit tibi parte quies.

*IOANNAE MARCHANTIAE
mulieri cum primis pia.*

HVi, quæ præcipitas contagia spernere sæcli,
Qui te iam videat, iuret adesse aliam.
Quò vultus nitor, & prælauræ fercula mensæ?
Quòue chorea, leues quòue abiere ioci?
Haud aliter stipulas disperserit Auster inanes,
Ludibrio ventis quas puer esse velit.
Quàm bene sub bysso, vestis cilicina subactam
Et niueam carnem subtus, & ossa terit!
Scilicet ætherei vis verbi ignita medullas
Torret, & accensum percoquit igne iecur:
Lampade si tanta flagras nos inter, olympo
Quid, nisi totus amor, totus & ignis eris?

Petra.

Petronilla consanguinea sua.

NVnc igitur demum vicisti incommoda tristis
Coniugii, inuisæ tædia longa moræ.
Protulit in lucem sese tua maxima virtus,
Multa licet varias inijcerent remoras.
Quæ non fertilibus cumulas altaria donis?
Aut quis inops tensa non tulit æra manu?
Quæ non impertis miserans solatia & ægris?
Quæ non captiuus das vaga, & hospitibus?
Sæpius illulum si quis tibi forte queratur,
Te falsa, potuit fallere nemo Deum.

*MARIAE FLAVIAE, ANDREAE
Dionysii, amici mei singularis, vxori.*

Flauia quur mortem exhorres! cum pestis in vrbe
Contiguas regnat depopulata domos?
Hoc damus ingenio muliebri. Quàm bene firmas
Hunc muliebrem animum strenua, tacta lue?
Heu, quis me vetuit propius te inuisere, amicum
Seu tibi, siue tuo, tempus in omne, viro?
Audio, te dulces natos, dulcemque maritum
Commendasse Deo, nec renuisse mori
Fortiter, atque animo plusquam sub fata virili,
Mirificas vires suppeditante Deo.
Nunc, age, quæ Christo victori epinicia cantas,
Ætheri haud minima parte recepta chori,
Me, sobolémque tuam, cum coniuge, face laborum
Queis potis es precibus, qua potes arte leua.

*IOANNAE SAQUETPAE BIMON-
tiana, mulieri amicissima.*

ET tu mater anus, mortem muliebriter horres,
Mortis & audito nomine tota fremis.
Solueris in lacrymas, & inanis verba querela,
Et gemitus imo pectore fessa trahis.

Obijcio.

Obijcio, rictus, per Christum, mortis inanes;
 Si mors credatur mortua morte Dei.
 Ludibria hæc stygij consueta Satellitis, aio,
 Quæ facilè eludat spes comitata fide.
 Adde nec auxiliùm Christi tibi defore, qui te
 A morte, atque metu vindicet interitus.
 Euenit, istà cadis, video tibi membra resolui:
 Prorsus vt in pigro corpore sensus hebet.
 Inlto, cæsariem vello, si forte veternum
 Excutiam, & stupido vocis ab ore sonos.
 Auribus inclamans instillo salubria verba,
 Dum capite inflexo nonnihil annucre,
 Et moriens vitam mutares sine beato,
 Clàuderet assuetæ qui pietatis opus.
 Sis fœlix, præcibusq; iuua, quem mater amasti
 Suffulta hortatu, consiliisq; meis.

CAROLO MAGNO ROMANO-
 rum Imperatori.

NVlli Iustitia, nulli pietate secundus,
 Magnus hic est belli, Magnus honore togæ.
 Victus Aquitanus victori porrigit herbam,
 Saxo feròx, & toto agmine fractus Iber.
 Stat sua victori, læta & victoria victis:
 Victor enim victos ad pià sacra vocat.
 Lombardo per eum exciso, vetus ipsa recepit
 Libera Religio, libera Roma decus.
 Huc oculos flectant Reges, Comitesq; Ducèsque:
 Hunc, quem suspiciant, quemq; imitentur, habent.
 Si quis erit, ducta qui iactet origine Carlum,
 Exprimat hunc armis, & pietate, patrem.

GOTIFREDO BULLONIO DUCI,
 Hierosolymitano Regi.

HAud, minima est virtus, dulces eum coniuge natos,
 Atque alacrem patrios deseruisse lares.
 Deuouif.

Deuouisse crucis Christi sese hostibus hostem,
 Veraque religio, iustaque militia est.
 Hunc fas Christi adùm traxisse in sacra cohortes,
 Prælia seu terra, siue ferenda mari,
 Vendicet vt Christo vacuum sine honore sepulcrum,
 Quamque Deus tenero sub pede pressit humum.
 Audit Omnipotens, & sanctè cœpta secundat,
 Ad Solymos strato iam via & hoste patet.
 Irruis obtestam, scuto protectus, in urbem
 Primus, & hostiles perfodis ense globos.
 Turba nefanda cadit; victa dominaris in vrbe;
 Apratur capiti parva corona tuo.
 Detrahis; hoc cultu detrectas ire per urbem,
 Tempora quæ Christo cinxerit ante rubis.
 Euge, Heros inuide aliis, inuide tibi ipsi,
 Victor & ipse tui, victor & hostis eris.
 Quando ita vis, oculos cælo adice: nam super astris
 Gemmâ immortali texta corona tibi est.
 Namque Deus non te dignatus honore caduco,
 Terrâ humili raptum te super astra vehit.

PHILIPPO ALSATIO, ARTESIAE
 Comiti, qui & Flandria. Hic relicto veteri gentilitio
 scuto, Leonis insigne accepit.

Quantus in hoc scuto exertos leo surgit in vngues,
 Laus tanta in bellis, clare Philippe, tua est.
 Inuida si sepelit tua cætera gesta vetustas,
 Præcipuum retinent postera sæcla decus.
 Te volo, Christicolis gnarus qui parcere, duras
 Cum Turcis alio conferis orbe manus.
 Aca, tuis etsi, te viuo, haud cesserit armis,
 Attamen auspiciis post cadit illa tuis.
 Vrbs hæc nostra, tuo sumtu quæ confouet ægros,
 Interea nomen tollit ad astra tuum.
 Et conscripta cupit cælo tua nomina supplex,
 Vrbs vt albenti nomina turre gerit.

Aca, siue
 Aco, alias
 Ptolemais
 vrbs Phœ-
 nicia cap-
 ta, anno.
 1191.

PHILIPPO AVGUSTO FRANCORVM
Regi, *Isabella Comitissæ Artesianæ marito.*

Inclite Rex, qui sceptrum tenes tua Francica, prudens,
Et vigil, Artesii iura tuas agris,
Quam potes: imò alacer potius possessor adauges:
Addis enim extructo mœnia Caesio.
Tanta tibi à nobis debetur gratia, ab ipso
Debetur nato gratia quanta patri.

LVDOVICO ARTESIAE COMITI 2.
Philippi Augusti filio & Isabella, Francia Regi, D. Ludouici Francia Regis patri. Item Roberti Artesia postea Comitissæ, Alphonsi Pictauiensium, & Caroli Andeganiensium item Comitissæ, deinde Apulia, Sicilia, & Hierusalem Regis.

Anglia te asciscit, te reijcit Anglia Regem;
Te tua tres messes Francia Rege tumer.
Fœlix pignoribus, Lodouico Rege, Roberto,
Alphonso, Carlum iungis & hisce tribus.

Vrbs D. Audomari ostentant structam tibi mœnia turrim:
Andoma Nicolæ nobis nomine porta tua est.
vi. Porta Fama canet viuax toto te forsitan orbe,
D. Nico- Vrbe quidem nostra porta loquetur anus.
lai Atre-
basensis.

D. Ludouico Francorum Regi.

Quæ pietas, Lodoice, tua est, te gloria regem,
Te manet æternæ posteritatis honos.
Nil ad iustitiam deficit pueroque, viroque:
Te scelus exhorret, te fugit omne nefas.
Exemplar te nobilitas virtutis honorat:
Aula prius sceleris, nunc schola laudis erit.
Ambit iura reis te dantem turba reorum:
Cantat egestatis mole leuatus inops.

Quam

Quam te torret amor Christi, tam te acriter vrit
Gentis Agarenæ stulta superstitio.
Bella moues, sed bella parum scœlicia: constar
Namque tibi pretio vita redempta graui.
Hoc semel, atque iterum, neutrum fausto omine: mores
Obstant Christi adûm, & vindicis ira Dei.
At licet illa vetet patrios te extendere fines,
Non tua laus cœli parte, nec orbe minor.

ROBERTO LVDOVICI FRANCIAE
Regis & Blanca Regina filio, Artesia Comiti 3.
D. Ludouici Francia Regis germano.

Cur tibi non calathis Franci dent lilia plenis?
Cur non innumero nobile flore sagum?
Cur non turritos generoso stemmate limbos,
Qui referant, quod tu ducis vtrimque, genus?
Tu Comes is fratri peregrina per arma ruenti:
Hostibus in mediis ictus ab hoste cadis.
Si nullum tribuit victo decus alea Martis,
Laus tua, pro Christi nomine posse mori, est.

*Multitudo liliorû
numero ca
rens in scie
to Comitissæ
Artes.*

ROBERTO ILLVSTRI ARTESIAE
4. Comiti, Roberti ex Mathilde filio.

Titulum illustrem sortiris fortibus ausis,
Adlectus Francos inter & ipse Pares.
Qui sis, liligeri testatur gratia Regis,
Gestaturque manu Regius accipiter.
Quæ non bella geris peregrè, scœliciter audax?
Abiens at populo consulis ipse tuo.
Arma paras Siculis iam traecturus ab oris
Ad solymos: reuocant te fera bella domum.
Occidis in pugna spatiis congressus iniquis:
Heu, tua nex hostes quot dedit inde neci?

*Pares Frã
cia.*

OTHONIA BURGUNDIA COMITI

*Palatino, Mathildis Roberti Illustris filia marito,
ac proinde Comitis Artesia 5.*

Sanguine Cæsareo, & Germanis regibus ortus
Orho comes mortem non diuturnus obit,
Sic volente Deo, Mathildis vt aurea virtus
Fulgeat assiduis exagitata malis,
Et liquidè pateat, quàm summo culmine sint res,
Præcipiti lapsu rursus ad ima trahi.
At celebranda venit, lustris plus scemina quinis
Quæ iacuit viduo sola relicta toro.
Quæ multata modis manet imperterrita miris,
Ferre nec afflictis læta recusat opem.

IOANNAE MATHILDIS FILIAE,

*Philippi Longi Francorum Regis, & Nauarra vidua,
Comiti Artesia 6. Obijt eodem anno quo mater.*

Heres Artesiæ, Longo sociata Philippo,
Magnis clara atavis, coniugioque pari,
Dum properas ad nos, tua dum noua regna capeffis,
Parisa summum claudis in vrbe diem.
Credimus? an Superis visa es dignissima cælo?
Hæc regio & vix te Principe digna fuit?

ODONI BURGUNDIAE DUCI, IOANNAE

*alteri ex Philippo Longo, & Joanna predicta filia marito,
ac proinde Comiti Artesia 7.*

*An. 1346.
Augusti
die 26. a-
pud Cre-
ciacum.
Gallos fu-
nestissimo*

Artesiæ res accisas, quæ nupsit Odoni,
Iana videt: dotem vixque tueris, Odo,
Vndique multiplici fines quatiente procella.
Horrida tempestas Calesium abripuit.
Si diuinus amor, vitijs regnantibus, absit,
Averso veniunt multa ferenda Deo.

PHI.

75 *prælio de-
uicit Edu-
ardus An-
8. sub glia Rex,
Idem post
11. mensis
3. Augusti
An. 1347.
Calesium
capit.
Guinea
capta ab
Anglis.*

PHILIPPO ODONIS, ET IOANNAE
*ex filio Nepoti Burgundia Ducis, & Artesia Comiti 8. sub glia Rex,
tutela matris & Joannis Francorum Regis: Mortur vix-
dum pubes, An. 1361.*

PRoruit in peius Respublica, si puer est Rex,
Supplicium sceleri continuante Deo.
Guinea iussa facit, pretio corrupta Britanni:
Rex, pueri tutor legitimus capitur.
Iura silent, feruet ciuilibus factio, passim
Latro ferox sternit cædibus innocuos.
Orta fames summi manifestat Iudicis iras,
Impetret vt veniæ cognita noxa locum.

MARGARITAE PHILIPPI LONGI, ET

*Joanna quondam Artesii Comitis filia, Ludonici Flandria
Comitis ad Creciacum casti, vidua, Philippi istius matertera
magna, Comiti 9.*

Tequibus elogiis, & Margari, versibus ornem?
Luminibus Phœbi subdere nolo faces.
Tu genus, & formam studio pietatis, honestis
Moribus exornas, coniugiique fide.
Conuentis moriente viro stas. Quid fuit, vltra
Vel septem viduum tendere iustra torum?
Restituis patrias leges, & iura vetusta:
Quisque suo sub te fungitur officio.
Tu reprimis grassatores impunè vagantes:
Otia securus lenta colonus agit.
Hanc tibi virtutem longos extendit in annos,
Immittens viduæ plurima acerba Deus.

*Vidua an-
nis 36.*

LVDOVICO MALANO FLANDRIAE,

ac Artesia Comiti 10. & Burgundia Comiti Palat.

Affulget, Mallane, tuo, sine nube serenum
Tempore: pax Flandris & coit Artesiis.

K 3

Vita

Vita brevis non plura finit, tibi namque Deus dat
Compositum æterna pace videre diem.

PHILIPPO AUDACI BURGUNDIAE

*Duci, Margaritæ Mallani filia, Artesiana Comitis
marito, Comiti 11.*

An. 1396.
mense Sep-
tembri a-
pud Nico-
polim Bul-
gariæ fo-
annes pri-
mogenitus
huius Phi-

lippi, Dux
Gallici ex-
ercitus ca-
pitur, agrè
redimen-
dus.

Obsessum
Atrebatū
à Carolo 6
Francorū
Rege anno
1414. mē-
se August.
Aulea pre-
tiosa tex-
tura Atre-
bat. ut Ba-
iazethes
æquior ef-
set Joanni
Duci &
ceteris ca-
pitinis, do-
no missa.

TEstatur titulus te maxima fortiter ausum,
Er Marti pietas it bene iuncta comes.

Noctes, atque dies capto victoria nato
Turcica distorsit te, sociamque tori.

Diuisio habet cineres mutos: Chartusia certis
Redditibus celebrat nomen adaucta tuum.

IOANNI DVCI BURGUNDIAE

Comiti Artesia 12.

Quis tibi vittutem præclaram in corpore pulcro,
Quis furor hosce meos inuidet Atrebatas?

Crudescunt iræ, concocta que pectore bella;
Solutus Ioannes omnibus adpeteris.

Urbs Atrebas cingi dura obsidione meretur,

Que tibi captiuo textile donat opus:

Ut Barazethis te mitior ira remittat,

Si potis est flecti bellua muneribus.

Nec mora, Bappalmæ cedunt hostilibus armis:

Oppida multa, tuæ diri piuntur opes.

Hoc leue: Te cædi simulato fœdere pacis,

Triste nefas gemitu & prosequimur lacrymis.

Præcipuè, nequeat nisi sanguine culpa piari,

Olim & inexhausta cede ctuentet humum.

PHILIPPO COGNOMINE PROBO BVR-

gundia Duci, Artesia Comiti 13.

Quis Probus hic? placida visendus frôte Philippus,
Otia quo populus Principe diues agit.

Compulit is cæso persolui iusta parenti,

Quod

Quod fas, & fieri publica iura volunt:
Candida cur cunctis pretioso colla monili
Aurea Phasiacæ vellera gestat ouis?
Hoc cultu socios vocat in quæcunque pericla
Si profint aris, aut adeunda focus.
Viuit apud populos, & viuet, gratia tanti
Principis, & viuit maior apud superos.

*Ordo rel-
leris aurei.*

CAROLO BURGUNDIAE DVCI ARTE-

sia Comiti 14. Cui & Audacis tributum nomen.

Te iuere tubæ, & litui, tibi sunt fera cordi
Prælia, & audaci bella gerenda manu.

At fuerat melius fines custode tueri,

Quàm, sine consilio bella cruenta sequi.

Huc vindicta Dei te protrussisse videtur,

Vt populi luxum comprimat, atque nefas.

In populos tecum quos ductas Marte feroces,

Inque tuum versa est tota ruina caput.

Tempore post istæ longo Bruga ossa recepit,

Ossa peregrinis ante sepulta locis.

Istam animam foueat placidum tam Numen, hone-

Quàm tulimus siccis ossibus inferias.

(stas

MAXIMILIANO ROMANORVM

Imperatori, Maria Caroli Ducis filia unica marito,

simul & Artesia Comiti 15.

Haud latuisse queas, prodit te vbicumq; locorum
Digna viro species, regius oris honos.

Copia non fandi, non multa peritia rerum,

Non habili robur deficit ingenio.

Ars tua, virtutem fortunæ opponere, lætis

Vincere te rebus, fortiter asprapati.

Virtutis numeros tantum te implere Monarcham,

Cæsaris hoc Carli conueniebat auo.

PHI-

PHILIPPO MAXIMILIANI CAESARIS
filio Hispaniarum Regi, Artesia Comiti 16.

Ingenium, mores generoso Principe digni,
Forma, habitus, probitas, optima pollicita est.
His externus amor successit, amorque tuorum,
Inclita & Hesperii foedera coniugii.

An. 1506. Vanas spes hominum! iuuenilibus occidis annis

annos ipse Turbans praecipiti gaudia morte piis.

natus 28. Sic vult Altitonans, vt nati gloria Carli

Reliquit Crescat in immensum conspicienda decus.

liberos Ca Sex tua Christiadum debentur pignora terris

rolum V. Pannoniis, Danis, indigenisque Tagi.

Casarem, Iuit in amplexus Franci Leonora mariti,

Ferdinandum Regem Roma Auspice qua pacem Gallicus orbis habet.

norum, Praeficitur terris primum Fernandus Eois;

Leonorâ Carolus immensa cetera forte tulit.

Francorū **CAROLO V. ROMANORUM IMPER-**

Reginam, ratori Augustissimo, Comiti Artesia 17. Gandani

Isabellam natus, Anno 1500.

Dania,

Mariam **I**ustitiae praeses, Belgarum gloria, robur

Hungaria & Bo Christiadum, terror Turcicus, orbis amor.

hemia, & Pauca loquor. Tua sunt numerosa & maxima. Virtus

Catharinam Lu- Arctari gyro nescia tanta breui.

strania. Cantet anus plenis tua gesta Heroica buccis:

Audimus, qui te perdimus, & gemimus.

Quae bona te viuo veniunt, moriente recedunt:

Relligio tecum penè sepulta obit.

Qui tibi cumque facit dictis conuicia amaris,

Despuit is proprios, dedecoratque sinus.

Si tua laus, orbe ingrato, nostro exulet ore,

Tota tibi partos ibit ad Antipodes.

EIDEM,

EIDEM, CUI SYMBOLVM IN INSI-
gnibus appensum legitur inter geminas Herculis colum-
nas hoc modo, Vterius.

Viuus honorasti terræ infima Caesar; olympum
Vt decores, vitæ munere functus, adis.
Et nunc sub pedibus terras & sidera cernis:
Laus nihil vterius, quò tua tendat, habet.

FRANCISCO VALESIO I. FRANCORVM
Regi Christianissimo, & celeberrimo.

Mæcenas atavis prognatus Regibus olim
Omnigena doctos fouit, & auxit ope.
Tu studiosorum princeps, & gloria, linguæ
Argolicæ, Hebrææ, tu pater es Latiae.
Ille rudis rerum, & studii, Rex maxime, qui te
Linguarum & studij nesciat esse patrem.

HENRICO VALESIO II. FRANCISCI
filio, Francorum Regi Christianissimo & bellicosissimo.

Hactenus arrisit tibi Mars, dum serua tractas,
Vt te per lusus decipiat speciem.
Ille oculum, ille adimit vitam. Quid Gallia? Vitam
Atque oculos fermè perdidit orba duos.

HADRIANO COMITI ROEUXIO, SIVE
Rhodio, vt quibusdam placet, Flandria & Artesia guber-
natori, Carolo V. Casari nuper fidelissimo,
& amicissimo.

Quæ non digna viro? quæ non opera ardua quiuis
Aque supercilio speret, & ore graui?
Talis erat, voluens alto sub pectore curas,
Multa minans hosti, multa cauens patriæ,
Multa suo Carlo, teneris cui seruit ab annis
Viribus, ingenio, consiliis, opibus.

L

Nil

Nil tulit in loculos, tam nulla est cura peculii:
 Heredes laudis, nullius aris habet.
 Nunc melius se res habeant, me Iudice, tales
 Si multos habeant secula nostra viros.

PONTO LALENIO, ALIAS, BVGNICARTIO
urbis Atrebatensis, ac postmodum Cameracensis Gubernatori.

Vividus ingenio, procerus corpore, nulli
 Palpo, grauis vultu, consilioque grauis,
 Pacis amans, bello studiosus quære pacem,
 In suscepta piè feruidus arma ruit.
 Gratus erat (sat erat) Carlo sub Cæsare, terris:
 Nunc decuplo (plus hoc) gratior ille Deo est.

MAXIMILIANO LONGOVALLIO
Comiti Boscoso, apud niuiros Tornacenses interempto.

Si metuens Christi quisquam, si cultor honesti,
 Si quis & antiquæ religionis amans,
 Si patriæ gratus, patriis procul actus ab oris,
 Susceptoque redux charus ab exilio,
 Milibus in multis si quis vir factus ad vnguem,
 Consiliis belli, consiliisque togæ,
 Ille fuit, Longæ claret qui nomine vallis,
 (Eheu, præproperè desijt) ille fuit.
 Occidit iniecto Tornaci ad mœnia saxo,
 Vrbs obsessa diu quum capiunda venit:
 Scilicet, hostili clementer vt vrbe recepta,
 Hoc iactu, minuat gaudia tanta dolor.
 Nec mirum, si tot lacrimas extorquet amicis,
 Hostes cui lacrimas fama negasse negat.
 Interea, Regi, populis, cleroque dolendus,
 Hoc lapide integitur, qui lapide interiit.

HYGONI FLORIO AVCHIMONTIO,
Arcis Bappalmentis præfecto, Copiarum apud Artesianos ductori.

Ista tuis virtus si fors celebratior æquo est,
 Quæ venit offenso gloria ab hoste, tua est.
 Ære coruscantem, & gladio tremit hostis, & armis
 Depositis, specimen te pietatis amat.
 Gallorum perfracta acies, detractaque signa
 Nobilium, quàm sis arte manuque potens,
 Testantur festa Lodoici luce. Tenemus,
 Pro patria quàm sis peruigil excubitor,
 Plumæ osor, sat habens, nocturno tempore, ligni
 Fasciculum capiti supposuisse tuo,
 Peruigilem vallo, succinctum pelle lupina
 Ludere vulpinas hostis & insidias.
 Te quoque Franciscus, Francorum gloria, primus,
 Expetit alloquio demeruisse suo.
 Vidit, & elogium non subticet: Hæc tua, Flori,
 Dextra valet bello, lingua disertata minus.
 Dextra tibi bello est melior, non garrula lingua est,
 Exequeris melius fortia, quàm loqueris.
 Pax reperit fessum gladiis, & cede cruenta,
 Sordet & anno so pondere vita grauis.
 Hoc magis, hæreseon tibi quod præuisa tyrannis,
 Et prædicta mihi, lux odiosa tibi est.
 Bella parantur, ais, vobis: Vos namque manet mors
 Fraude, dolo, insidiis, vulnere Presbyteros.
 Obstupui contra nihil audens hiscere, tunc quum
 Præsertim caneres fata propinqua tibi.
 Quis credat? pietas gemit hinc excussa. Iubet mox
 Te, languente Deus Relligione, mori.

Nobiles
 profugati
 ab Auchimontio,
 die festo D.
 Ludouici
 Anno 15.

IOANNI PICO, MIRANDULÆ

*Comiti, viro eruditione, facundia, & vita integritate
præstantissimo, post tres & triginta annos
ætatis suæ, vitam finientis.*

DOctrina, ingenium, formoso in corpore Virtus,
Insunt, si cuiquam, maxima, Pice, tibi.
Maximus es, quid adhuc hæres mortalibus oris?
Scande citus cælum, nil dare terra potest.

Angelo Politiano.

ALtera lux, decus Italiæ, flos ingeniorum,
Quis tibi doctiloquo manat ab ore lepos?
Qui volet ingenium depingere laudibus æquis,
Huic opus ingenio, Politiane, tuo.

HERMOLAO BARBARO VENETO

Patriarchæ Aquileiensi, mox Cardinali futuro.

EGregiè doctus, lingua facundus vtraque,
Quidnam aliud non sit? barbarus esse nequit.
Decretum patria, & Mars, mors inuidit honorem;
Inuidiam Venetus, Roma fouet cineres.

Rodolpho Agricole Frisio.

Siniveos mores, viuax si mentis acumen,
Et stylus, illimis qui velut vnda fluit,
Spectetur, nulla aduersa est censura, Rodolphum
Iure vel antiquis annumerare potes.
Esto, sit Frisius, crasso licet aere natus:
Debet an immeritus dicier Agricola?

IACOBO SANNAZARIO, AVT, VT MA-

luisse videtur, Aetio Syncero, Poëta clarissimo.

VNde genus? Diuis. Laus vnde, & gloria? Musis,
Fulta salutaris laude puerperij.
Desine constructæ turris tibi flere ruinas,

Fini.

Finitimas dubio delicia(que mari.
Si cantata Dei mater, si te Deus accit,
Quid tibi cum terra? quid tibi cum pelago?

Gabrieli Altilio Poëta eximio.

DE facie Altilium non noui, carmine noui,
Carmine, quo nullum cultius esse potest.
Tam dolui Musam nugis te perdere, lætor
Quàm tumulum Christi te celebrasse mei.
Obsecro, quis lacrymas sic te lacrymante tenebit?
Ceui sua deficiens funera cantet olor.
Viue Deo, Gabriel, æternæ viue quieti:
Mors in te vatem non habet imperium,

MARCO MARVLLO TARCHANIO TAE

Constantinopolitano Poëta.

EGregiè defles, & tristi carmine, Vates,
Exilium Graij, culte Marulle, soli.
Quàm melius mecum, nisi te mala Parca tulisset,
Æthereæ gemeres exilium patriæ!
Qui canis obscuro fictos ænigmate Diuos,
Sic indicta finas agmina cælituum?
Haud ego te viuo cecinissem carmina diuis;
Namque tui similes hocce decebar opus.
Sarturus fueras, quod deest tibi (credo) superstes:
Cogitur at scriptis Christus abesse tuis.

Gulielmo Budæo Parisiensi.

PArcius in laudes magnorum excurro virorum:
Futilibus nulli blandior elogiis.
Ter magnum vidi semel, & vidisse recordor
Budæum, quo nil Gallia maius habet.
Infertur noctu tumulo, vexare grauatus
Splendida cuiusuis ordinis officia.
Viuat apud Superos, æuo fœlice fruatur,
Cuius laus senium non timet, aut cariem.

L 3

Deside-

Desiderio Erasmo Roterodamo Batauo.

TRaditur à Flacco vates Lucilius vrbem
Romuleam multo defricuisse sale:
Temporibus nostris linguax, oculatus, an orbem
Corruptum Batauus defricuit nimio?

Eidem Erasmo.

CVraſti Latiis repleti vocibus orbem:
Traductus ſandi non bonus auctor abis.
Mordes, & quereris corruptum moribus orbem:
Dux ſectę multis non bene carptus obis.
Magna tibi parta eſt, ſed nulla eſt gloria, Eraſme,
Si bene nunc cuncti viuimus, & loquimur.

E P I T A P H I O N

In Budauno, & Eraſmum coniunctim.

ORbis erat cæcus, tenebris immerſus opacis,
Omnia & in ſtudiis error, & horror, erant.
Munere cæleſti, data ſunt duo lumina mundo,
Lumen apud Gallos, lumen apud Batauos.
Qui neget hæc, Solis lumen ſplendere negarit,
Aut nihil, vt talpa cæcior, ille videt.

Petro Bembo Cardinali.

BEmbus erat docto ratis, anchora, portus, aſylum:
Candidus, humanus, nobilis eloquio.
Si quis adhuc ſupereſt, florens virtutibus iſtis,
Qui refouet docti peſtora, Bembus erit.

IACOBO SADOLETEO EPISCOPO
Carpentoraſtenſi Cardinali.

MOrs fauces iſtas licet interceperit, & ſis
Sub tumulo mutus nil roboante, cinis,
Ne deſiſſe tuo quiſquam miracula ſæclo
Prædicet, id ſcriptis, ô Sadolete, caues.

Chri-

Chriſticolis Cicero, Romanę gloria linguax,
Verba facit verbis, ô Sadolete, tuis.

CHRISTOPHORO LONGOLIO, VT,
certò iam conſtat, Batauo.

EXplicet vt dotes natura vbicunq; locorum,
Longolium Bataua dædala ſeuit humo.
Eloquij ſitiens, patriam celatq; , fugitq; :
Cur fugit? vt patriam ſic mage nobiliter.
Indigenam Gallus, ciuem ſibi Roma requirit
Longolium, Batauis qui Cicero ortus erat.

Ludouico Vini Valentino.

QViſte laudatum magno non laudet Eraſmo,
Cuius honos libris, iudicio q; ſedet?
Quis te, dum grauiter, dum commentaris acutę,
Ornatum ornato perneget Aurelio?
Cætera, quæ dictas, ætas longęua nepotum
Suauiter in ſera poſteritate rapit.

Alberto Pighio Campenſi.

COrpore qui in ſtupido, Pighi, tam cernis acutum,
Quid non deſiſta cernere mole queas?
Scripta tua euoluat male fauſto hoc tempore, ſi cui
Inuidus obducto lumine viſus heber.
Hæreticum (quiſquis faciat conuicia ſoli)
Laſa aquila iniecto protinus vngue premis.

BAZILIO ZANCHIO POETAE
Hortorum ſpiritualium ſcriptori.

Chriſtiadũm genti cęleſtes conferit hortos
Zanchius: An ſancto digna labore tulit?
Sic puto. Dum Sophiæ cultis ſpatiamur in hortis,
Zanchius & campis degit in Elyſijs.

MAR-

MARCO HIERONYMO VIDAE CRE-
monensi, Alba Episcopo, Poeta summo.

MAntua Virgilij, tantum vicina Cremonæ est,
Quantum Virgilio par tua Musa tuo.
Virgilium superas. Diuos, & Numen olympi
Tu canis: ille homines, & canit ille Deos.

Hieronymo Fracastorio Poeta.

Site digna parem suspendere carmina, sanus
Non tibi suspendam carmina Frastorio.
Sic, perlustratum qui Solem, & sidera cantas,
Sub pedibus Solem nunc, tua & astra vides.

THOMAE MORO, PRVDENTISSIMO,
& fortissimo viro, Britanno.

Quigentilitio norunt te nomine Morum,
Nullius accusant te, puto, stultitiæ;
Stulta nisi res sit, fumos contemnere honorum,
Sacrilego & sceleri præposuisse necem.
Abstulit ense caput tibi Rex furiosus: at ista
Vera est, pro Christo, gloria, More, mori.

IOANNI FISCHERIO ROFFENSI
Episcopo, Viro sanctissimo.

Hæreticum scriptis debellas, morte Tyrannum:
Hoc est, victorem te prius esse tui:
Adiicit ad te animum, Romam qui legibus æquis
Temperat: Omnipotens adiicit ad te animum.
Dum Pater Ausonidum properat te ornare galero,
Ecce, pater Superum te super astra rapit.

IOANNI ECCIO ECCLESIAE
propugnatori.

Corpore, mente, animo robustus, peruigil, acer,
Hæreseon mactix Eccius ecce iacet.
Defunctus bello, vocat hic sub fata, caduce
Non carnis medicos, sed medicos animæ.

IOANNI FROBENIO TYPOGRAPHO
probissimo, & solertissimo.

Quid non virtutis de te audio, clarè Fröbeni,
Tun' vir eras fuci nescius atque doli?
Tun' fugitans litis, decedere iure suetus
Ipse tuo, potius quàm nocuisse semel?
Non mirum, si deperiit te magnus Erasmus,
Alternis victor, victus & officiis. (non
Laus tua non minima est, peregrino dogmate quod
Argueris nitidos commaculasse typos.

THOMAE A CAPELLA
doctori Dominicano.

Eximius doctor, reparatæ præco salutis
Ferreæ corda domas dulcibus eloquiis.
Contulit hoc tibi vita diu: Mors inuida tandem
Multorum confert inuidiam vt fugias.

IOANNI LENTALERO AQVICIN-
Etiorum Abbati, Viro cum primis pio.

Perpurgas olidæ cœnosa cubilia mandræ
Implens egregii præsulis officium.
At dum gymnasiij attollis fastigia cælo,
Exsuperas meritis sidera summa tuis.

*HUGONI LENTALERO EIVSDEM ET
natura & pietate verè germano, qui & ambo
gemelli nati sunt.*

A Equas ingenij germanus acumine fratrem
Nec candore animi, nec pietate minor.
Inter at vnanimes vna est discordia fratres,
Hæc prior in vitæ lumina venit vter.
Contendunt gemini, si quando iuuerit vnâ
Festiuis animos exhilarare iocis.
Cedit Ioannes monachus patrimoniam, olympo
Carpere præcipiti tramite nixus iter.
Olfacis hanc, Hugo, fraudem, quod sidera prendas,
Nexilis abruptis vincula coniugij.

*PETRO ASSETO SENATUS ARTE-
sensis Præsidi integerrimo. Sub ipsius effigie.*

Q Vur facies tristis, seu torua? Abducier æquo
Non fert imperiis, muneribusque capi.
Quàm citus irasci iniustis, tam flexilis idem
Innocui, iustis aut viduæ precibus.
Quid verbis opus est cumulare encomia? Summa est
Laudis. Incorruptum compita & ipsa canunt.

*IDEM PETRVS ASSETVS, SVB SVA
effigie collegas suos alloquitur per Trojopopaiam.*

T Alis eram viuus forma vultuque virili,
Quem scita pictor reddidit effigie.
More meo (nec enim quisquam deflexerit) odi
Et cane quodque scelus, peius & angue, nefas.
In Regem, patriam, Superos testamini amorem
Collegæ (vobis sunt ea nota) meum.
Dum Regi, patriæ labefactæ, arisque tuendis
Possè, nimis lasso ferre negatur opem:

Pigno-

Pignora coniugii bis sex, cum coniuge & ipsa
Æui me saturum iuuit in astra sequi.

*HIERONYMO RUFALDO VEDASTI-
norum Abbati.*

Q Væris quis iacet hic? Hieronymus ille Rufaldus,
Præsidium docto, subsidiumque inopi.
Diues namque inopes, & doctos doctus amavit,
Haud ratus alterutri se tribuisse satis.
Vivere tum renuit Præsul, quum defuit illi
Quod pater & doctis, pauperibusque daret.

*ROGERIO MOMMORANTIO ITEM
Vedastinorum Antistiti.*

D Octrinam, ingenium, formam, pietatis amorem,
Atque perenne odium turpis avaritiæ, (stum
Candorem in generis splendore, animumque mode-
Vis vno memorem nomine? Rogerius.
Quæris, an horum aliquid nunc illi à morte super sit?
Aut nihil, aut minimum. nam dedit ille Deo.
Verba tenes Pauli: Deus omnia in omnibus vnus:
O vtinam nobis fulgeat ille dies.

*RVRSUM THOMAE A PARENTI,
cuius Symbolum adhuc legitur: Deo parenti.*

P Ræsul vbi est factus, diuino munere, Thomas,
Arripuit duplex sollicitudo virum.
Vna est, vt vigeat pietate monasticus ordo:
Altera, ne pessum census inanis eat.
Totus in hoc fuerat: summo se fortè Parenti
Olfacit accitum: paruit ille Deo.

M 2

12.

*IN OBITVM D. FRANCISCI RICHARDI
Episcopi Atrebatensis sacundissimi: Auctor ager
scripsit ad Cives quoslibet Atrebatios
per Dialogismum.*

- Auctor. **D**icite semianimi, toties, totiesque retento,
Tabæ artus longum depopulante, domi:
Quur flent Atrebatæ per compita, in ordine quouis?
Cives. Eloqui, & morum nempe magister obit.
Auctor. Hinc simul & tristi feriunt nolæ æra bombo?
Cives. Suggestu muto, fana relicta silent.
Auctor. Lugubris incedit longo, reor, ordine pompa.
Cives. Scilicet hunc tota vrbs, totaque rura gemunt.
Auctor. Artificem fandi ostendit frustrane Tridentum
Germanis, Gallis, nuper & Aufoniis?
Cives. Haud ita, sed raptum indigna tellure parentem
Spectandum cælo reddidit Artesia. (tis
Auctor. Nilne patris patriæ superest? Ciu. fama inclita: men-
Namque immortalis theca abit in cineres.
Auctor. Quur oculos plebs aspectans in terga reflectit?
Cives. Sollicita est rapto cernere versa parem.
Auctor. Desperet, quam viuo habuit, moriente salutem?
Cives. Quam magis ante homines, hæc minus ante Deum.
Auctor. Ergo, citus petiit cælos, hoc nomine præsul
Regem flexurus Cælituûm? Ciu. petiit.
Auctor. Ergo, breui infœlix sequar illum, aut carmine flebo
Natus ego in morbos, natus & in lacrymas.

Eidem.

Hæsito, quid de te dicam. Namq; omnia præstas,
Pluraque, quam multis dicere nemo queat.
Atrebatæ, Romæ, Cameraci, siue Tridenti
Notus es, Eois notus & Hesperis.

Eidem

Eidem in eandem sententiam.

TE viuo, veritus, iam, post tua funera, vecors
Dum paro quantus sis dicere, conticui.
Te canat Aufonius, Germanus, Gallus, & Anglus:
Te recinat, docti quicquid & orbis habet.

*FRANCISCO BVSINIO SCRIBAE IN
Collegio Canonorum Atrebatensium.*

TAm dulce est nobis morum meminisse tuorum,
Quam triste est mortis nos meminisse tuæ,
Ni candore homines, ni te pietate modesta
Perpetuò constet conciliasse Deum.
Ars fuerat, sacris ritus signare peractis,
Nostraque præcipua gesta notare fide.
Credere tu solitus mansuris nomina chartis,
Conscriptum cæli culmine nomen habe.

*A. MARIAEO CANONICO ET SVCCEN-
tori Ecclesia Atrebatensis.*

ERgone, me viuo, sene me, Mariæ, relicto
Ætatis medio flore vigente cadis?
Omnes linigeri, tibi gens iunctissima, mystæ
Plurima, te rapto, quærimus, & querimur.
Quærimus in terris quem vexit ad æthera virtus
Virtutem absentem quærimus, & gemimus.
Candor ubi? pietatis amor, studiumque sacrorum?
Mistus & ingenua simplicitate pudor?
Talia de nobis moriens prædaris & aufers,
Scandis & optatas, regna superna, domos.
Et peste abreptum te, & cæli parte locatum
Tabæ mala absumtus desino morte sequi?

M 3

DE

DE MORTVIS OMNIBUS COMMEN-
datione Christiana dignis.

VOs, scio, non noui multos, nec carmine dixi:
Vos etenim notos (parcite) Christus habet.
Hoc commune tamen carmen volo, qualis & ipse
Sit Deus, æternæ pacis, & alta quies.

Protestatio Auctoris.

FVnerus scriptor, perituri nominis auceps
Ne videar, de me talia testificor.
In vitamque breuem, præscriptæ & mortis in horam
Si quisquam sapiat me monitore, sat est.
Si me vita minus docuit contemnere honores,
Mors obeat vitæ, muta magistra, vicem.

IN IMAGINEM SVI, LIBRVM VNA
cum Cruce completentis.

Non finit hanc tenuem nobis traducere vitam
Nec Crux absque libro, nec liber absq; Cruce.
Cruce, studiumque pari sociantur fœdere, & vno:
Sit mihi Crux studij, sit studiumque Crucis.

Scriptoris languentis.

DVm meditor tacitus, pangēs dum flebile carmen
Officii viuum quemlibet admonco:
Ne non nota mihi, ne sit præuisa minus mors:
Areo, deficio totus, & intereo.
Multa quidem scripsi, manibus mortalis at vnum
Saltem opus hoc posco, nocte, dieque teri.
Mortuus est Christus (summa est) idemque reuixit:
Quemque velim Christo viuere, quemque mori.
Quid moror? Hanc accerse animam, pie, Christe,
Redemptor,
Inque tuos volucrum præcipe abire sinus.
Istic, nauis uti, placida statione quiescet,
Eliciat rupta dum tuba corpus humo.

Eiusdem,

Eiusdem, ad Christum Jesum.

Sive Creatorem mecum te cogito, Christe,
Sive Redemptorem, debeo cuncta tibi.
Nudus in hunc mundum veni, nudusque recedo:
Quid tibi dem? Hanc animam debeo, sumetibi.

Epitaphion sibi ipsi.

Bis plus sex lustris protraxi sæpius ægram
Corpore in affecto, per mala multa, animam.
Vita labor fuit, & studium conscribere laudes
Cælitibus, magno Cælituumque Patri.
Vixi: morte cado: Vita est mea, mors mea Christus:
Vnus honos vni, gloria & vna Deo.

FINIS COEMETERII.

Anno 1591. Mense Octob.

